


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XV
E
26
NAPOLI






DISSERTATIO
HISTORICO-CANONICA
DE EPISCOPO
VISITATORE,

Seù

DE ANTIQUO REGIMINE
ECCLESIÆ VACANTIS,
Ad intelligentiam verborum in Registro Epistolarum
B. GREGORII MAGNI
VISITATOR ACCEDAS.

Auctore
FRANCISCO NICOLAI
EPISCOPO CAPUT-AQUENSI,
Ac junctarum Sedium Pæstanæ, Velinæ, Acropolitanæ, & Buxentinæ.






ROMÆ, MDCCX.
Excudebat FRANCISCUS GONZAGA in via Lata.
SUPERIORUM FACULTATE.





Sanctissimo, ac Beatissimo

PATRI
CLEMENTI XI.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

FRANCISCUS EPISCOPUS CAPUT-AQUENSIS *Felicitatem.*



Udem hanc, & incultam de Episcopo Visitatore Dissertationem in Gregorii Magni Epistolas ad utrumque Felicem Acropolitanum, & Sypontinum Antistitem, in triennali hujus Diœcesis visitatione, subcessivis horis lucubratam, Tibi uni, Sacerdos omnium Maxime, atque Sanctissime consecrandam, tamquam meorum laborum primitias, illud Levitici me monet ora-

Levit. 23. 10. culum: *Feretis primitias messis vestræ ad Sacerdotem*. Hoc planè lucubrationis argumentum, quo non modò antiquum vacantium Sedium regimen, longè aliud, quàm nostra fert ætas, ejusque origo, progressus, & in Capitularis Vicarii munus subrogatio; verùm etiam Metropolitica jura, & maximè in Urbicaria Summi Pontificis Diœcesi dilucidantur, jure meum existimavi; tùm quòd vetustæ, cui primum præsui Canusinæ Sedi, tùm quod etiam Velinæ, & Buxentinæ, ad quas immortali me beneficio transtulisti, à B. Gregorio Episcopus præficitur Visitator; Tibi, inquam Beatissime Pater, Gregoriana isthæc speciali jure debetur elucidatio; quippè qui ità fideliter Gregorii vestigiis inhæres, ut tanti Doctoris, non solùm Pontificia Celsitudine, sed doctrina quoque, & vitæ sanctitate Te veneremur hæredem. Id palàm

B. Greg. lib. 2. ep. 29. & l. 1. ep. 51.

enunciat illa Tua verè Paſtoralis ſollicitudo major omni præconio, qua ſacris homiliis, de fonte undè ille hauriebat, & ipſe bibens, pari ſtylo, ſpiritu, & venuſtate compoſitis, ſic graviter è Vaticano euangelizas, & exaltas vocem; ut Tua vox, ipſius Magni vox eſſe Gregorii videatur. Idipſum omnibus teſtatur ſimilis Tua in electione humilitas; quemadmodum enim virum illum ſanctiſſimum, in gravi perturbatione rerum;Chriſtianæ Reipublicæ gubernacula ſuſcipere coegerit; ſic Tu difficillimis Eccleſiæ temporibus (maxima hæc, ac penè divina laus, & indè magis mira, quò rara nimis) uno omnium plauſu, etiam invitus, priſca exempla revocans, omnem moviſti lapidem, ut tantùm abs Te rejiceres Principatum: at Pater luminum eum Religioni Catholicæ Moderatorem indulſit, qui eccleſiaſticæ libertatis vindex tot gra-

ves, quibus præmeretur ærumnas, ab ejus cervice depelleret, & reformandæ pacis inter Christianos Principes in sanguine, & cœde versantes, mentem referens spiritumque Gregorii antecelleret animi magnitudine rebus humanis. Jàm verò, ut huic nostro sæculo sacræ eruditionis genio nobilitato, Opusculum hoc nullius hucusque industria (quantum equidem sentiam) elucidatum, jucundiùs accidat, sub auspiciis Sanctitatis Vestræ publicè proferendum putavi. Tuere igitur, Sanctissime Pater, ea, qua soles animi Clementia, ut studiis quandoque meis majora promam, tenue hoc qualecumque grati animi monumentum, quod pedibus tuis, quibus oscula figunt, & coronas suas consecrant Reges, venerabundus advolvo.

INDEX CAPITUM,

Quæ in hac Dissertatione continentur.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Dominicus de Zaulis Archiepiscopus Theodosiæ Vicesgerens.



Mandante Reverendiss. Patre Paulino Bernardinio Sacri Palatii Apostolici Magistro perlegi Dissertationem Illustriss. ac Reverendiss. Dni Francisci Nicolai Episcopi Caputaquensis, inscriptam DE EPISCOPO VISITATORE: *in qua nihil offendi Christianæ Fidei, aut morum honestati contrarium: complura autem reperi eruditionis, ac disciplinæ Ecclesiasticæ studiosis admodùm profutura. Quare etiam typis mandari posse arbitror si videbitur iis, ad quos pertinet. Et ità censeo, salvo &c. In quorum fidem subscripsi ex ædibus sacri Palatii Apostolici Quirinalis* VI. *idus Februarii* MDCCX.

Franciscus Blanchinus S.Congreg.Indicis Consult.



IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatii Magister.

DISSERTATIO HISTORICO-CANONICA DE EPISCOPO VISITATORE.

CAPUT I.

S. Gregorii Magni omnes Epistolæ summatim recensentur, in quibus uti etiam Metropolita in sua Diœcesi Urbicaria Romanus Pontifex Episcopis vicinioribus delegavit visitationem, seu regimen Ecclesiarum vacantium. Et de discrimine, quod intercedit inter Episcopum Cardinalem, & Visitatorem, quod in iisdem Epistolis occurrit.



Rgumentum hujus Canonicæ Dissertationis nobis præbuit S. Gregorii Magni registrum Epistolarum: cum enim sępius occurreret ea dictio: *Visitator accedas*, animum apposuimus, ut ordine aliquo Visitatoris Episcopi munia ex ejusdem Sancti Pontificis mente cognosceremus, & ad quæ ejus facultas extenderetur. Primo itaque duo insignia loca, veluti dissertationis fundamentum præponamus.

Beatus itaque Gregorius *lib. 2. epist. 29. indict. 10.* ad Felicem Episcopum Acropolitanum ita scribit: *Quoniam Velina, Buxentina, & Blandana Ecclesiæ, quæ tibi in vicinio sunt constitutæ, Sacerdotali noscuntur vacare regimine:* *Pag. 52. editionis Rom.*

A pro-

propterea fraternitati tuæ earum solemniter operam visitationis injunximus; illud præ omnibus commonentes, ut ubi præfatarum Ecclesiarum, sive Diœceseos earum vel Diaconi, sive Religiosæ Personæ inventæ fuerint, districtè, canonicèque ut vivant, modis omnibus admonere studebis.

Pag. 29. Idem S. Pontifex *l.* 1. *epist.* 51. ad Felicem Episcopum Sipontinum ita scribit: *Pervenit ad nos, quod Canusina Ecclesia ita sit Sacerdotii officio destituta, ut nec Pœnitentia ibidem decedentibus, nec Baptisma præstari possit infantibus. Hujus igitur tam piæ rei, tamque necessariæ mole permoti, jubemus dilectioni tuæ, ut hujus præceptionis authoritate commonitus, memoratæ Ecclesiæ Visitator accedas, & vel duos Parochiales Presbyteros debeas ordinare, quos tamen dignos ad tale officium veneratione vitæ, & morum gravitate prævideris, & quibus in nullo obvient instituta canonicæ disciplinæ, ut sanctæ cum digna cautela provideatur Ecclesiæ.*

Hæc duo testimonia, in quibus Visitatoris Episcopi munera describuntur, locum dedere Dissertationi: & quia in decurrendis aliis Epistolis plurima deprehendere licuit, quæ nobis visa necessaria, ut describerentur, propterea, librorum epistolarum ordine servato, in præsenti capite congessimus ea, quæ deinde inservire poterunt ad enumerandas facultates ejusdem Episcopi, & quomodo illis fuerint usi olim Episcopi Visitatores: identidem plura observantes, quæ rectam ingenerare poterunt intelligentiam circa ea, quæ scribit S. Pontifex de Episcopis Visitatoribus.

Beatus Gregorius Magnus præter alia Pastoralis solicitudinis indicia, qua Ecclesiarum cunctarum utilitati prospiciebat, in munere demandando visitandi vacantes Ecclesias in primis enituit. Metropoliticum erat munus juxtà avitam disciplinam vacantes Ecclesias sive per obitum Episcopi, sive ob immanissimas Barbarorum incursiones, aliasve caussas, ad servandum gregem illicò deligere Visitatorem, cujus curæ

Ec-

Ecclesiæ viduatæ indemnitas committebatur ; Romanus Pontifex, qui inter alias suæ Sedis prærogativas jus obtinebat Metropoliticum in decem illas Provincias Diœcesis Urbicariæ, quas infra recensebimus, etiam vacationis tempore regimen earumdem cum facultate expressa, quod *Visitatores accederent*, Episcopis vicinioribus committere consuevit. Hujus disciplinæ & consuetudinem, & antiquam originem ita testatam reliquit Joannes Diaconus: *esse antiquissimum Ecclesiæ ordinem, traditum ab Apostolis, & in tota Ecclesia solemniter servatum.* L.3. c.21. 22.

Discriminabatur igitur antiqua a recentiori disciplina in eo munere, quod vacantes Ecclesiæ non per Capitulum, seu ejus Vicarium Capitularem, sed per Visitatores Episcopos a Romano Pontifice, spectato uti præcipuo Italiæ Metropolita, sicut & a cæteris Archiepiscopis in unaquaque Provincia regendæ destinabantur. Id munus verò demandabatur, vel tempore præscripto, donec de novo Antistite provideretur Ecclesia, vel indefinitè sine ulla temporis præscriptione. Et ne scrupulum faciat, quod Sacerdotes a S.Gregorio vocentur *Visitatores Episcopi*, innuendum priscam esse consuetudinem diu servatam, Episcopos vocatos simpliciter Sacerdotes: gradus enim Episcopalis continet Sacerdotii plenitudinem ad discrimen simplicis Presbyteri, qui vel eo nomine, vel secundi ordinis Sacerdos indigitabatur. Ita Liberatus Diaconus *lib.12.c.3.* V.Thomass. in præfat. tom. 1. de Benef.

Illud verò diligenter adnotatum volumus, ad omnem hujus vocis æquivocationem eliminandam, discriminari etiam Visitatores, de quibus nobis erit sermo, ab illis, quorum mentio occurrit in Concilii Sardicensis *can. 57.* & *in actione 4. & 10.* Chalcedonensis, qui græcè dicebantur Περιοδευταὶ, quique a Dionysio exiguo, & Isidoro Visitatores in suis versionibus dicuntur. Περιοδευταὶ enim erant Visitatores ad regendas agrestes Parochias in vicis, & Pagis, adeoque cùm non essent Episcopi, qui solùm priscis temporibus ad eam provinciam illustrandam deligebantur, non sunt de hoc genere.

I. Rem itaque explicandam aggredientes, in adducto S. Gregorii testimonio *epist.* 29. *lib.* 2. discimus præcipuo exemplo uni, eidemque Felici Acropolitano trium Ecclesiarum vacantium, nempe Velinæ, Buxentinæ, & Blandanæ regimen demandatum, quod simile reperiemus in Episcopo Hydruntino.

Urbes porro prædictæ, ut notitiam aliquam tribuamus, erant in his Provinciis sitæ. Acropolis Episcopalis Sedes in Provincia Lucaniæ olim erat, nunc obscurum Oppidum Diœcesis Caputaquensis, vulgò *Agropoli*, prope mare Tyrrhenum, etsi juxtà recentiores Geographos includatur in Provincia Principatus citra.

Velina Episcopalis Sedes a vetustissima Urbe quondam Helia, Hyela, & Elea dicta, quæ a Phocensibus fuit condita ex Herodoto *l.* 1. Plinio *l.* 3. *c.* 5. Strab. *l.* 6. patria Zenonis, & Parmenidis, optimis legibus regebatur, uti antiqua monumenta testantur. Situs ejusdem inter antiquissima Pœsti, & Buxenti oppida Caput-aquen. Diœcesis; ejusdem pars locum tribuit construendæ Civitatis Castri-maris de Burca, cujus nunc rudera tantùm supersunt.

Ex Cic. Famil. l. 7. ep. 21. ad Atticum l. 16. ep. 7. & quæst. Tuscul. l. 2.

Blandana Urbs similiter Episcopalis, quæ hodie putatur ab aliquibus locus vulgò *Belvedere* dictus in Brutiorum Provincia sita. Abbas a S. Paulo, & Cl. Vir Holstenius in annot. ad Italiam antiquam putant fuisse in Lucania, vulgò *Porto di Sarpi*, ejusque vestigia ad maris ejusdem littora conspiciuntur. Quæ opinio verbis S. Gregorii potius congruit, dum posterior locus proximior sit Acropolitanæ Urbi, quàm Oppidum *Belvedere*.

Pag. 22.

Buxentum vetustissima Romanorum Colonia, & Sedes Episcopalis, ejusque situs melius statuitur in loco, ubi nunc Pyxuntum, vulgò *Pisciotta*, Diœc. Caput-aquen.; quàm in eo, ubi Sedes Policastrensis. Quod evincit nominis analogia, cum littera y apud Latinos mutetur in u: tum ex antiquis Geographis, qui Buxentum derivant a Buxorum co-

copia, quæ ibi habetur, cui suffragantur Recentiores: tandem quia magis consonat cum epistola S. Pontificis, dum Felici de Agropoli Visitationem Buxentinæ Sedis injungit, eam asseruit in vicinio esse Acropolitanæ: Policastrensem verò longius distare, nulli erit dubium ex simplici earumdem situ, & ex concordi sensu Abb. á S. Paulo in laudatissimo Geographiæ sacræ opere, Lucæ Holstenii loco adducto, Philippi Ferrarii v. Buxentum, Leandri Alberti in Italiæ descrip. *pag*. 198.

Tres hasce Civitates vacantes ac suo Pastore viduatas S. Gregorius tribuit Felici Acropolitano, ut viciniori Episcopo cum munere Visitatoris, & annexis facultatibus, de quibus in progressu.

II. Alterum constituendi Visitatoris testimonium est in epistola 51. quæ est ad Felicem Sipontinum Episcopum, eumque constituit Canusinæ Ecclesiæ Visitatorem, vacantis ob devastationem jam pridem factam in Longobardorum incursione.

Colonia Romanorum erat Canusina Urbs celebris apud Historicos, Poetas, & Geographos, qui eam in Apulia collocant prope Aufidium amnem, distatque a Cannensi vico celeberrimo ob cruentissimam Romanorum cladem vigintiquinque stadiis: eò superstites milites profugi, Paulo Æmilio Conf. devicto, sese recepere. Vetustatem Canusinæ Civitatis probant subscriptiones Sardicensis Concilii, ubi legimus: *Stercorius ab Apulia Episcopus de Canusia*. Quod nobis erit argumentum, ut deducamus, in nostris de eadem Sede commentariis, prioribus Christianis seculis, eam vel unicam fuisse, vel primariam Apuliæ Sedem.

Ex Strabone, Ptolomæo, Plinio, Plutarcho, Cicer. Virg. Horat. & Mart.

Apud Lab. tom. 2. Conc. fol. 659.

Floruere in eadem Sede celeberrimi & sanctitate, & Apostolicis Legationibus Episcopi. Probus an. 462. Legatus Simplicii Papæ ad Leonem Imperatorem Cp. B. Rufinus in Romana Synodo an. 499. sub Symmacho. B. Memor in tertia, & quarta Romana sub eodem Symmacho an. 501. Præter B. Petrum I. ejusdem Sedis Antistitem, qui floruit an.

Ex Bar. ad an. 467.

an.720. celebres fuere senior, & junior Sabinus. (Duos enim fuisse Sabinos Episcopos Canusinos non contemnendis conjecturis contra P. Beatillum Soc. Jesu in vita S. Sabini in nostris historicis commentariis ostendemus). Sabinus senior quidem in Concilio Romano sub Bonifacio Papa an. 531. & in consecratione Cryptæ S. Michaelis Archangeli in Gargano sub Gelasio, & alibi commemoratur: Junior verò in Conc. Cp. ubi Legatus Apostolicus erat Hormisdæ primum, & postea Agapeti, & præsens fuit in celebri caussa depositionis Anthimi Epis. Cp. Hujus Sancti Episcopi acta celebrantur laudatissimè a S.Gregor. Dialog. *l.*2. *c.*15. & *l.*3. *c.*5. inter alia, quibus præfulsit dona, fuit in S. Sabino Prophetiæ gratia; & jam morti proximus, quæ accidit an. 566. suæ Sedis desolationem prædixit, quæque evenit in sævissima illa Longobardorum eruptione an. 568. descripta a Paulo Vualnefrido *l.*2. *c.ul.* Cum verò post obitum B. Antistitis novi Episcopi electio ob immanem desolationem peragi non potuisset, inde Gregorius an. 591. Felici Epis. Sipontino Visitatoris munia in prædicta Ecclesia demandavit, ut supra detulimus.

V. Bollandum to.2. Febr. p.300. Baron. an. 493. Lab. in Conc. Const. an.536. Ferrar. 9. Febr. in catal. Sanctor. Italiæ. Baron. ad diem 9. Febr. in Martyr. in annot.

Sipontum porro vetustissima erat Civitas Apuliæ Dauniæ prope Cerberum amnem, ita appellatam *a sæpiarum copiis, quæ hìc in littore maris ejiciuntur*, ex Strabone *l.*6. & Silvio Italico *l.*8. In ejus locum suffecta est Civitas Manfredonia Archiepiscopali Sede decorata. Paucula ista adnotavimus pro illustratione sacræ Geographiæ; quod & similiter agemus, quando ejusdem Pontificis epistolas infra recensendas illustrantes, loca, ac Civitates reperiemus.

Indict. 9. pag. 7.

III. In tertio Visitatoris constituti exemplo per eundem S. Pontificem, quod legimus *l.*1. *ep.* 15. fermè iisdem verbis, ut in præcedenti, eam curam committit Balbino Episcopo Rosellano ob vacantem Ecclesiam Populonensem, demandatque pariter, ut constituat Ministros pro administratione Sacramenti Pœnitentiæ, & Baptismatis; cum eo tamen di-

discrimine, quod Canusinæ edicit constituere *Parochialem Presbyterum*, in Ecclesia verò Populonensi, *Cardinalem Presbyterum*. Ita enim scribit: *Pervenit ad nos, quod Populonensis Ecclesia ita sit Sacerdotii officio destituta, quod nec Pœnitentia decedentibus ibidem, nec Baptisma præstari possit Infantibus. Hujus igitur tam piæ rei, tamque necessariæ mole permoti, jubemus dilectioni tuæ, ut hujus præceptionis authoritate commonitus, memoratæ Ecclesiæ Visitator accedas, ut unum illic Cardinalem Presbyterum, & duos debeas Diaconos ordinare..... quibus in nullo obvient constituta canonicæ disciplinæ, ut sanctæ cum digna cautela provideatur Ecclesiæ.*

Rosella Sedes Episcopalis agri Senensis Hetruriæ, cujus rudera etiam nunc dicuntur Rosella, duobusque milliariis distant a Rosetto Episcopali Urbe.

Populonensis Civitas, etiam Episcopali Sede decorata, Hetruriæ Urbs est, non longe distans ab oppido Plumbino etiam Senensis agri ad ora maris Tyrrheni. De quibus Abb. a S. Paulo, & in notis ad epist. S. Gregorii Eruditi plura congerunt.

Cardinalis Presbyteri vox, quæ in laudata epistola occurrit, non eo sensu erit accipienda, prout hodie est amplissima Romanæ Ecclesiæ dignitas, sed alia usurpatione. Et quidem eadem vox reperitur in actis Concilii Romæ sub S. Sylvestro *can. 6.* de quo tamen jure dubitant Eruditi. In antiquo tamen jure Cæsareo frequens occurrit mentio Præfecti Cardinalis, eratque ex Alciato Præfectus Prætorii Asiæ, & Africæ. Sæpissime in epistolis ejusdem S. Gregorii mentio fit Episcopi, Presbyteri, Diaconi Cardinalium, qui deficientibus in aliqua Ecclesia Ministris illis, ex aliena Ecclesia delegabantur, eamque delegationem S. Pontifex passim appellat *cardinationem*, seu *incardinationem*. Quo sensu accipiendus videtur can. 54. Conc. Meldensis an. 845. *Quod Episcopi titulos Cardinales in Urbibus constitutos disponant.*

L. 2. ep. 13. indic. 4. l. 2, ep. 6. indic. 10. l. 3. ep. 14. & l. 1. ep. 11.

Uti

Uti igitur mos fuit S. Gregorio, ut ex Joan. Diacono *l.* 3. vitæ ejusdem adnotabamus, vacantium Ecclesiarum regimen vicinioribus Episcopis uti Visitatoribus delegare: pariter asserit eodem lib. c. 15. *quod Episcopos desolatarum Civitatum alienis vacantibus Ecclesiis incardinare consuevit*: & exemplum subdit cujusdam Martini Episcopi devastatæ Sedis Tamitanæ Corsicæ a B. Gregorio adjuncti, seu incardinati viduatæ Ecclesiæ Aleriensi.

Fundamentum canonicæ hujusce disciplinæ desumi videtur ex Nicœno can. 15. ubi cum vetitum esset, ne Episcopi, Presbyteri, & Diaconi migrarent ex propria Ecclesia, in qua fuerant ordinati, ad alienas; proinde non poterant Episcopi, tempore devastationis, aut in Barbarorum incursionibus providere Ecclesias proprias de alienis Presbyteris, & Diaconibus: pariter nec licebat Clero, & populo Ecclesiæ viduatæ eligere, & ad propriam Sedem deducere Episcopum dirutæ Civitatis: inde nonnisi Apostolica dispensatione videtur fuisse permissum hujusmodi *incardinatione* desolatas Ecclesias providere, atque ob necessitatem Ecclesiarum in canone Ecclesiastico dispensare.

Facile erit hinc, antequam ulteriori disquisitione *Visitatoris* Episcopi facultates discutiamus, discrimen assignare inter *Visitatorem*, *& Cardinalem Episcopum* juxtà mentem S. Pontificis, scribentis aliquando providere velle vacantem Ecclesiam de Episcopo Visitatore, quandoque de Episcopo Cardinali. Et quidem varia sunt Eruditorum placita, nobis germanam eam esse expositionem videtur, quod cum vacantis Ecclesiæ regimen *committit in titulum alicui tanquam proprio, principali, primario, & ordinario Ministro*, tunc dicitur constitui Presbyter, aut Episcopus Cardinalis, quia videlicet vacans Ecclesia Episcopo tali, aut Presbytero incardinatur, seu in titulum confertur: nam Cardo, & titulus ex antiquo Ecclesiastico usu idem sonant. Cum verò non in titulum, sed *ad tempus vel definitum, vel indefinitum* Ecclesia

clesia vacans commendatur; tunc simplici Visitatoris titulo donabatur, non defectu facultatis, dùm Episcopus Rosellanus, quamvis esset Populonensis Ecclesiæ simplex Visitator, nihilominùs Gregorius eidem amplam concessit potestatem *Presbyterum Cardinalem* in ea Ecclesia constituendi.

IV. Germanam eam esse utriusque nomenclaturæ expositionem, comprobant ejusdem Summi Pontificis aliæ epistolæ, quæ & considerandas in Visitatoribus facultates dant alias, & in visitando modos. Jàm in Corsica diu vacabat Sedes Episcopalis Aleriensis, cui ut provideret S. Gregorius epist. 76. lib. 1. indict. 9. illam regendam demandavit Leoni cuidam prædictæ Insulæ Episcopo, scribens eidem: *Quoniam Ecclesiam Aleriensem antè annos plurimos, obeunte ejus Pontifice, omninò destitutam agnovimus, Fraternitati tuæ Visitationis ejus operam duximus injungendam.* Adeoque Leonem Episcopum non *Cardinalem*, seu titularem, sed uti Visitatorem præfecit Aleriensi Ecclesiæ usque ad determinatum novi Antistitis eligendi tempus: ei tamen amplam concessit facultatem. Prosequitur enim epistolam sic: *Cunctis rebus suprascriptæ Ecclesiæ uti proprium te volumus uti Pontificem, usque ad nostram epistolam.* *Pag. 38.*

V. Videamus modo, quid intelligat nomine *Cardinalis Episcopi*. Epistola enim 77. ejusdem libri, cùm providere vellet Tamitano Episcopo, cujus Civitas dudum fuerat hostium barbarie diruta, Visitatorem à se missum Ecclesiæ Aleriensi, ad propriam Sedem redire jussit, & eandē Martino Tamitano concessit, non ut simplex Visitator, sed ut Cardinalis, seu titularis Episcopus: *Quoniam Ecclesia Tamitana, in qua dudum fuerat honore Sacerdotali Fraternitas tua decorata, ità est hostili feritate occupata, atque diruta, ut illuc ulterius spes remeandi nulla remanserit; in Ecclesia Aleriensi, quæ jam diù Pontificis auxilio destituta est, Cardinalem te, secundùm petitionis tuæ modum, hac auctoritate constituimus Sacerdotem.* Clarius hocce discrimen exponit epist. 79.

B ejus-

ejusdem libri, quæ est *ad Clerum, & nobiles Corsicæ*, ubi sic Episcopum Visitatorem ab Episcopo Cardinali distinguit:
Pag. 39. *Ea de re, quoniam Ecclesia Aleriensis, Sacerdotis diù est auxilio destituta, necessarium duximus, Martinum fratrem, & Coepiscopum nostrum ibidem Cardinalem constituere Sacerdotem; Leoni vero fratri, & Coepiscopo nostro operam ejus visitationis injungere.*

VI. Ecclesiæ Fundanæ oppressio nobis aliud tribuit testimonium, ut nostram conjecturam, juxtà Summi Pontificis mentem, firmemus in posito discrimine inter Episcopum Visitatorem, & Episcopum Cardinalem. Agnello itaque Epi-
Pag. 66. scopo Fundano sic scribit epistola 13. lib. 2. indict. 11. *Quia ob cladem hostilitatis nec in Civitate, nec in Ecclesia tua est cuiquam habitandi licentia.* Et cùm evenisset, quòd proxima Sedes Taracinensis per obitum Episcopo suo esset viduata Pastore, ad enixas preces ejusdem Cleri, & populi fuit à S. Gregorio incardinata Taracinensis Sedes Agnello Antistiti Fundano; cum onere tamen, ut solicitudinem gereret propriæ Ecclesiæ, quia non erat penitùs eversa, ut contigerat Tamitanæ Ecclesiæ: *Sic te Taracinensis*, prosequitur eadem epistola ad Agnellum, *Ecclesiæ Cardinalem constituimus esse Sacerdotem, ut & Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse non desinas, nec curam, gubernationemque ejus prætereas: quia ita Fraternitatem tuam dictæ Taracinensi Ecclesiæ, sicut præfati sumus, præesse præcipimus, ut antedictæ Fundanæ Ecclesiæ tibi jura, potestatemve nullo modo subtrahamus.* Proxima verò epistola data Clero, & Taracinensi plebi commendat Agnelli Antistitis Fundani merita, & illi obedientiam, & obsequium in omnibus præstare jubet. Opportunè ità providit, & dignitati Episcopali in personam Agnelli suæ Sedis destituti, simulque necessitatibus proximæ Ecclesiæ Taracinensis suo orbatæ Pastore; & eidem, nullo temporis spatio præfixo, fuit incardinata, seu in titulum collata. Regulariter itaque evenit, quod quando Summus Pontifex

tifex Episcopum dirutæ Ecclesiæ, vel alio quovis modo propriæ Sedis destitutum, regimini alterius vacantis Ecclesiæ præfecit, illum ea constitutione faciebat Episcopum Cardinalem, seu titularem: si verò demandabat regimen viduatæ Ecclesiæ alteri Episcopo, residentiæ suæ Ecclesiæ jam obstricto, tunc eum Visitatorem constituebat.

VII. Tamen ex eadem loquendi, & statuendi formula in epist. 25. lib. 2. Joanni Episcopo Squillatino datæ, illud ipsum elucet. Narrat etenim, quod præfatus Episcopus Barbarorum incursionibus fuerat sua Sede turbatus, & ejectus (est Squillacium Sedes Episcopalis in Brutiis) & cum vacaret in Dalmatia Lyssitana Ecclesia ad ejusdem regimen incardinavit Joannem Episcopum, ea tamen adjecta conditione: *Et licet à tua Ecclesia sis, hoste imminente depulsus, aliam, quæ Pastore vacat, Ecclesiam debes gubernare: ità tamen, ut si Civitatem illam ab hostibus liberam effici contingat, ad eam, in qua priùs incardinatus es, Ecclesiam revertaris. Sin autem prædicta Civitas continua captivitatis calamitate premitur: in hac, in qua à Nobis incardinatus es, debeas Ecclesia permanere.* Lyssius Sedes Episcopalis in Illyrico sita est in mari Adriatico, *Alessio* vulgò dicta. *Indict. 10. pag. 52.*

Testimonia adducta satis, superque comprobant discrimen, quod intercedit inter Cardinalem, & Visitatorem Episcopum, & quomodò in hisce quinque exemplis de Sedibus Velina, Buxentina, & Blandana provinciæ Lucaniæ, de Sede Canusina provinciæ Apuliæ, de Sede Rosellana, & Populonensi Tusciæ, de Alariensi, & Tamitana Corsicæ, & demùm de Sede Squillatina provinciæ Brutiorum sint constituti, & Visitatores, & Cardinales Episcopi viduatis Ecclesiis. Uberiùs nunc nostrum argumentum prosequentes ex earumdem epistolarum registro ad eandem rem firmandam, cætera Visitationis Episcopis delatæ exempla in aliis Civitatibus Urbicariæ Diœcesis, opus erit subnectere.

VIII. Singularis tamen modus duplicatæ Visitationis

illicò ſeſe offert examinandus, de quo loquitur epiſt. 12. lib. 2. indict. 10. Poſtquam enim S. Gregorius Paulo Epiſcopo Nepeſino Tuſciæ delegavit regimen vacantis Eccleſiæ Neapolitanæ, quouſque de novo provideretur Antiſtite, ab eodem Epiſcopo duæ regebantur Eccleſiæ, dùm propria Sede retenta, alterius viduatæ vel ad tempus regimen aſſumebat: propterea ſubſequenti epiſtola ejuſdem libri, Eccleſiam Nepeſinam delegavit Joanni Epiſcopo, de cujus Sede non conſtat, titulo Viſitatoris: *Quoniam Paulo* (Nepeſino Antiſtiti) *fratri, & Coepiſcopo noſtro Neapolitanæ Eccleſiæ Viſitationis operam injunximus, idcircò Fraternitas tua viſitationem Eccleſiæ Nepeſinæ non deſinat aſſumere.* Rarus iſte caſus occurrit, quo demandaretur & viſitatio Eccleſiæ viduatæ, & Eccleſiæ ejus, ex qua Viſitator eligebatur.

Epiſt. 20. pag. 48.

Paulus tamen Nepeſinus, dùm vellet ſeſe à viſitandi munere expedire, ut rediret pro regenda propria Eccleſia, propterea S. Gregorius Petro ſuo per Campaniam Legato demandavit, ut cogeret Clerum, & Neapolitanum populum ad celerem Epiſcopi proprii electionem, ut indè Paulus liberè poſſet ad propriam Eccleſiam remeare: inſuper committit eidem, certum proventum aſſignare Paulo Nepeſino ex commendata Eccleſia percipiendum: *Prædicto Paulo centum ſolidos, & unum puerulum orphanum, quem ipſe elegerit pro labore ſuo, de eadem Eccleſia percipere facias.*

Lib. 2. indict. 11. epiſt. 35. pag. 74.

IX. Cotronienſis erat viduata Eccleſia, & alterum eſt exemplum Viſitatoris deligendi. Dùm enim id perſpectum habuiſſet S. Gregorius, viſitationem, & regimen vacantis Eccleſiæ commiſit cuidam Epiſcopo Joanni, cujus Sedis fuerit Epiſcopus non legitur in epiſtola, putamus in Brutiis Epiſcopatum obtinuiſſe, eidemque epiſtola 27. lib. 2. indict. 10. demandavit, ut omni adhibito conatu Clerum, & populum diſponeret ad celerem Epiſcopi electionem: *Veſtri Antiſtitis obitum*

Pag. 51.

obitum cognoſcentes, curæ Nobis fuit deſtitutæ Eccleſiæ viſitationem fratri, & Coepiſcopo noſtro Joanni ſolemniter delegare. Cotrona Urbs eſt Brutiorum Epiſcopalis celeberrima ſub Archiepiſcopatu Rhegienſi.

X. Quandoque eveniebat Epiſcopum impedimento aliquo detentum à ſua Eccleſia abeſſe diù: aut ſi per obitum Epiſcopi Clerus, & populus in electione non concordarent, in hiſce caſibus Viſitator deligebatur à Sancto Gregorio. In epiſtola igitur 55. lib. 2. indict. 9. quæ eſt ad Severum Epiſcopum, dùm vacaret Ariminenſis Eccleſia, & aliqui de Clero Odeatinum elegiſſent, illius dignitatis indignum, Summus Pontifex electionem infirmavit, & dùm in ea electione mora protraheretur, temporalem viſitationem Severo injungit his verbis: *Vos etenim in ejusdem viſitatione Eccleſiæ eſtote ſolertes atque ſolliciti, ut res ejus illibatæ ſerventur, & utilitates, vobis diſponentibus, more ſolito peragantur.* Pag. 30. Epiſtola verò ſequenti 56. ejusdem libri præcipit Urſino Duci, necnon & Clero, & Ariminenſi populo, ut rejecto Odeatino, convenirent in electionem idonei Antiſtitis, & in electionis forma, ac progreſſu in omnibus obedirent Severo Viſitatori Epiſcopo. Ariminum Urbs eſt Provinciæ Piceni Annonarii ſub Archiepiſcopatu Ravennatenſi.

Notandum obiter, quod dùm vigeret Viſitatoris Epiſcopi præſens diſciplina, & dabatur hocce munus; ſacri canones ità vicinioribus Epiſcopis Eccleſiæ vacantis committebant ſolicitudinem, ut Eccleſiarum indemnitati conſulerent: nullum enim commodum reportabat Epiſcopus Viſitator, niſi alimenta: etſi enim bonorum omnium curam Viſitator gereret, expenſas tamen, ſive ut in laudata mox epiſtola aſſeritur, utilitates, ſeu victualia ab eadem percipere poterat.

XI. Ariminenſis Epiſcopatus alterum præbet exemplum Epiſcopi Viſitatoris in epiſtola 24. lib. 2. indict. 11. Cùm enim Caſtorius Epiſcopus Ariminenſis corporis infirmitate

mitate gravatus jaceret, S. Gregorius Visitationem ejusdem Ecclesiæ injungit Leontio Urbinatensi Antistiti, eique cuncta administranda commisit, præter Clericorum Ordinationes: proxima sequenti epistola 25. directa universis Arimini habitatoribus mandat, Leontio Episcopo Urbinati præstare obedientiam, eumque Visitatorem agnoscere: *Vos ergo ita in omnibus ei obedite, quatenùs operam visitationis sibi injunctam salubri devotione possit implere.* Quæ verò esset antiqua disciplina circa Ecclesiam, cujus Episcopus infirmabatur, videri potest apud eundem Gregorium epist. 7. & 8. lib. 11. Concilium Maldense cap. 47. Arausicanum I. cap. 30.

Pag.70.

Cùm verò Leontius Visitator aliquid acciperet de publico ærario, quod erat portio canonica, & Episcopo Castorio infirmo reservata, & de eo conquereretur populus Ariminensis, Sanctus Gregorius epist. 42. lib.2. indict.13. mandavit eidem Leontio, ne populum gravaret, neque de publico ærario quid minimum perciperet, sed quiesceret in congrua, quam sibi assignaverat, nempè de medietate quartæ partis reddituum Ecclesiæ, seu portionis Episcopalis, sic ut una Castorio infirmo, altera verò medietas reservaretur Leontio Visitatori.

XII. Sedes Episcopalis Trium Tabernarum, uti Canusinæ evenerat, Barbarorum incursionibus, ac hostili feritate cùm esset deturbata, eam jure Visitationis subjecit regimini vicinioris Episcopi Joannis Veletrani epistola 36. libro 2. indict. 10. *Postquam hostilis impietas diversarum Civitatum desolavit Ecclesias, ut reparandi eas spes nulla, populo deficiente remanserit: majori valdè cura constringimur, ne defunctis earum Sacerdotibus, reliquiæ plebis, nullo Pastoris moderamine gubernatæ.... Hujus ergo solicitudine sæpè commoti, hoc nostro sedit cordi consilium, ut vicinis eas mandaremus Pontificibus gubernandas...... Ideòque Fraternitati tuæ curam, gubernationemque Ecclesiæ*

Pag.45.

clesiæ Trium Tabernarum providimus committendam.

Trium Tabernarum Sedes Episcopalis extabat in Latio antiquo propè Velitrum, ejusque rudera modò inspiciuntur via Appia ad vicinia Cisternæ, quæ in ejus locum creditur successisse, & ab urbe Roma spatio viginti millium passuum distat: posteà unita fuit Veletrinæ Sedi, & ut ab aliquibus putatur, ab eodem S. Gregorio.

XIII. In provincia Brutiorum erant duæ antiquissimæ Sedes, Taurinum una, & Thurium altera, quæ cùm essent vacantes, Summus Pontifex epist. 38. lib. 2. indict. 11. visitationem earundem demandavit Joanni Episcopo Scyllatino, seu Squillacino etiam in Brutiis, donec diligenti studio, & opera ejusdem Visitatoris fieret nova Episcopi electio: *Visitationis destitutarum Ecclesiarum Fraternitati tuæ operam solemniter delegamus .... & ideò ad prædictas Ecclesias ire properet, & assiduis adhortationibus Clerum, plebemque earumdem Ecclesiarum admonere festinet, ut remoto studio, uno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant Sacerdotem, qui & tanto mysterio dignus valeat reperiri, & à venerandis canonibus nullatenùs respuatur.* Pag. 58.

Erat Sedes Episcopalis Tauritanensis in Brutiis, quæ à Saracenis penitùs est eversa, media inter Rhegium, & Hypponium, cujus rudera per tria passuum millia distant ab Oppido Seminariæ. Thurium olim fuerat insignis Urbs Brutiorum Episcopalis, sita non longè à flumine Sybari, quæ modò diruta jacet, & rudera conspiciuntur in loco, qui dicitur vulgò *Cibari rovinata*: ejus loco, ut opinatur Abbas à S. Paulo in sua Geographia, successit Oppidum Terræ novæ. De ea in provincia Brutiorum plurima refert Cluverius in Antiqua Italia scitu digna.

XIV. Viduatis iterum dictis Ecclesiis Tauritanensi, & Turritana Sanctus Gregorius epist. 18. lib. 11. indict. 6. Venerium Episcopum Vibonesem Visitatorem constituit.

De

De Sede Vibonensi occurrit mentio in Synodis Romanis sub Symmacho, quæ modò dicitur vulgò *Monteleone*.
Pag.398. Sic verò scribit: *Obitum Paulini Tauritanensis, & Turritanensis Ecclesiæ Antistitis directa relatio patefecit..... Quapropter visitationis destitutarum Ecclesiarum Fraternitati tuæ operam solemniter delegamus, quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus Clericorum, redditu, ornatu à quopiam usurpari patiaris*. Et epist. 17. lib. 11. inscripta ad plebem Tauritanensem, & Turritanensem mandat eadem, & ut obedientia præstetur Venerio Episcopo Visitatori.

XV. In eodem libro 2. Epistolarum hæc duo Visitatoris Episcopi exempla occurrunt. Primum epistola 26. indict. 10. quæ inscripta est Maximino Episcopo Syracusano, qua voluit vacanti Ecclesiæ Lyparitanæ præfici Visitatorem Paulinum Tauritanensem. Ecclesia Lyparitana uti & Melitensis numerabantur inter Sedes Episcopales ad provinciam Siciliæ spectantes. Cùm verò Syracusanus Antistes in ea Insula gereret vices Romani Pontificis in iis, quæ ad munus Metropolitæ spectabant, proindè Summus Pontifex mendavit Maximino Episcopo Syracusano, ut provideret Ecclesiam Lyparitanam de Visitatore; & idipsum rescripserat epist. 13. ejusdem libri Paulino Tauritanensi, cui illud munus committit.

XVI. Alterum exemplum Provinciæ Campaniæ præbet epist. 19. S. Gregorius, in qua Benenato Episcopo Mesenato commisit regimen proximæ viduatæ Ecclesiæ Cumanæ his verbis: *Quoniam Cumanæ Ecclesiæ Liberius*
Pag.48. *quondam Antistes de hac luce migrasse cognoscitur: propterea visitationis destitutæ Ecclesiæ operam Fraternitati tuæ solemniter delegamus: quam ità te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus Clericorum, redditu, ornatu, ministerioque, vel quidquid aliud est, à quoquã præsumatur Ecclesiæ*. Erant Sedes Cumana, & Misenatensis Provinciæ Campaniæ propè

propè Neapolim; quæ postmodùm auctoritate ejusdem Pontificis fuere invicem perpetua unione copulatæ, ut colligi videtur ex epist. 31. lib. 2. indict. 10.

XVII. Clerus, & populus Hortonus scriptam recepit epistolam 39. lib. 3. indict. 10. à S. Gregorio, qua præcipitur, ut reciperent Barbarum Episcopum Beneventanum tanquam Visitatorem, dùm viduata esset Ecclesia per obitum sui Præsulis. Est Hortona Urbs Trentanorum, nunc vulgò *Hortona à mare*, spatio duodecim millium passuum à Theatæ in Aprutio distans.

Eundem Barbarum Beneventanum, sive, ut verisimilius putat Ferdinandus Ughellius in sua Italia Sacra, Theatinum; sive, ut alii ex MSS. Codicibus colligunt, Carinensem Episcopum, Sanctus Gregorius epist. 16. lib. 2. constituit Visitatorem vacantis Ecclesiæ Panormitanæ, per illa verba, quæ à Gratiano relata sunt in cap. *Obitum Victoris* dist. 16. *Obitum Victoris Panormitanæ Civitatis Antistitis directa relatio patefecit....... Quapropter Visitationis destitutæ Ecclesiæ Fraternitati tuæ operam solemniter delegamus .... Et ideò dilectio tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit, & assiduis adhortationibus Clerum, plebemque ejusdem Ecclesiæ admonere festinet, &c.* Fuit olim Carinum Sedes Brutiorum Episcopalis, quæ cum esset propè Rhegium, per eundem Summum Pontificem putatur conjunctam fuisse Sedi Archiepiscopali Rhegiensi, de quo Abbas à Sancto Paulo in Sacra Geographia.

XIX. Insulam Siciliæ, sicut & Corsicæ fuisse connumeratas inter Provincias juri Metropolitico Romanæ Ecclesiæ subjectas, suo loco videbimus; & indè superiùs adnotavimus testimonia constitutionis Episcopi Visitatoris in Sedibus Aleriensis, & Tamitanæ Corsicæ; Lyparitanæ, & Panormitanæ Siciliæ. Viduata Ecclesia Agrigentinensis, vulgò *Girgento*, alterum tribuit exemplum, quæ à S. Gregorio fuit subjecta regimini, & Visitationi Petri Episcopi

C Trica-

Tricalitani; & insuper injunctum Maximino Episcopo Syracusano, qui, ut supra est observatum, vicem gerebat Romani Pontificis, uti Metropolitæ, ut integram portionem Episcopalem concederet eidem Episcopo Visitatori Petro Episcopo Tricalino. Quæ quidem concessio rara, nec alibi usitata reperitur. Tricola, seu Triocola antiquissima est Sedes Episcopalis media inter Mazaram, & Agrigentum: temporum injuria, & Barbarorum incursionibus vastata inter ruinas jacet, & sola rudera supersunt in loco vulgò *Sancta Maria de Mena*, seu, ut alii putant, *San Giorgio de Tricola*. Vide epist. 12. lib. 4. indict. 13. pag. 120.

XX. Gaudentius Episcopus Nolanus eodem lib. 4. epist. 13. ab eodem Pontifice Visitator deputatur Ecclesiæ Capuanæ in Provincia Campaniæ, vacantis per obitum Festi, Romæ demortui. De quo in can. *Quoniam Festus*, dist. 61. ubi sic: *Quoniam Festus Capuanæ Ecclesiæ Episcopus in Romana Curia positus de hac luce migravit, curæ nobis fuit (quæ universis Ecclesiis à nobis impenditur) ad Fraternitatem tuam præsentia scripta dirigere, & memoratæ Ecclesiæ Visitator accedas*, &c. Et in sequenti epist. 14. ejusdem libri, Clero Capuano directa, ità scribit: *Quoniam Festus Capuanæ Ecclesiæ Episcopus hic positus de hac luce migravit, curæ nobis fuit, destitutæ Ecclesiæ visitationem fratri, & Coepiscopo nostro Gaudentio Nolanæ Civitatis Episcopo solemniter delegare, cujus vos assiduis adhortationibus convenit obedire.*

XXI. Inter præcipua demandatæ Visitationis exempla per Sanctum Gregorium, illud adnotandum diligentius, quod exhibet epist. 20. lib. 4. indict. 13. ubi Beatus Pontifex Severo Episcopo Ficulino demandavit regimen vacantis Ecclesiæ Ravennatensis; de quo etiam Joannes Diaconus in Vita Beati Gregorii lib. 4. cap. 5. In ea verò in primis conspicitur, elucetque clarè Ecclesiæ Romanæ jus illud Metropoliticum in Ravennatensem Ecclesiam adversùs ejusdem Sedis

Præ-

Præsules, qui quandoque temerè dominium subterfugere sunt ausi, usurpantes autocephaliam. Sic verò scribit Pontifex: *Obitum Joannis Antistitis Ravennatensis directa relatio patefecit....... Quapropter Visitationis destitutæ Ecclesiæ Fraternitati tuæ operam solemniter delegamus, quòd ità te convenit adhibere, ut nihil de provectionibus Clericorum, redditu, ornatu, &c.* Similia repetit epistola 21. ibidem Ravennatensibus directa: *Vestri Antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit visitationem destitutæ Ecclesiæ fratri, & Coepiscopo nostro Severo Ficulino delegare, cui dedimus in mandatis, ut nihil de provectionibus Clericorum usurpari patiatur.* Est Sedes Episcopalis Ficulina, quæ vulgò dicitur *Cervia*, in Provincia Flaminiæ, seu Romandiolæ, propè flumen Rubiconem.

XXII. Eandem curam, ac Pastoralem solicitudinem exhibuit Beatus Gregorius in Calabria, seu regione Salentinorum, quæ nunc dicitur *Provincia d'Otranto*, de qua sic scribit epist.21. lib.5. indict.14. Petro Episcopo Hydruntino, cui, trium vacantium Sedium Brundusinæ, Gallipolitanæ, & Lupiensis regimen omnium demandavit: *Pastoralis Nos cura constringit, Ecclesiis Sacerdotis moderamine destitutis, solicita consideratione prospicere: ne proprio decedente Rectore, contrarium, quod absit, aliquid Patrum regulis oriatur...... Quia igitur Ecclesias Brundusii, Gallipolis, & Lypiensis, obeuntibus earum Pontificibus omninò destitutas cognovimus: idcircò Fraternitati tuæ Visitationis earum operam duximus injungendam.* Erat Lypia, seu Lupia Urbs Episcopalis Salentinorum in Provincia Calabriæ propè Brundusium, vulgò *Lecce*. Vide Abbat. à Sancto Paulo in Geographia Sacra. Pag.162.

XXIII. Liber sextus Epistolarum Summi Pontificis unius Visitationis commissæ meminit, & est epistola 16. data Agnello Episcopo Terracinensi, ubi hæc habet: *Obitum Becandæ Antistitis directa relatio patefecit, quapropter* Pag.193.

 Visi-

Visitationis Ecclesiæ destitutæ Fraternitati tuæ operam solemniter delegamus........ & ideò Fraternitas tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit, & assiduis adhortationibus Clerum, plebemque ejusdem Ecclesiæ, &c.

XXIV. Erat verò Civitas illa, ea tempestate, ità calamitatibus oppressa, & populis destituta, ut cum non adesset restituendi ad priora Civitatis statum, sive eligendi novum Episcopum, indè Visitatori Episcopo demandat; Ecclesiæ redditus impendendos in sarciendis Ecclesiarum tectis, Clericorumque sustentatione: mobilia recondenda, indicemque eorum sibi transmittendum. Hæc omnia ità descripta exhibet libri 7. epist. 75. *Solicitudinem vos convenit adhibere, ut possessiones Ecclesiæ in reparatione earumdem, vel ipsius Cleri subventione proficiat....... mobilia verò prædictæ Ecclesiæ subtiliter volumus describi, notitiamque Nobis transmitti, ut ex hoc, quid fieri debeas, auctore Domino, disponas.*

Pag.266.

XXV. A Latio antiquo, in quo est Terracina, transitum faciamus ad Umbriæ Provinciam, in qua Sanctus Gregorius lib. 7. indict. 2. narrat, viduatam Ecclesiam Interamnensem, vulgò *Terni*, ità assiduis calamitatibus pressam esse, necnon sufficienti numero Cleri, & populi destitutam, ut de facili canonica electio sequi non posset; Visitationem propterea, & custodiam dictæ vacantis Ecclesiæ commisit Constantino Episcopo Narniensi, donec suo primo statui restituta, de Antistitis electione provideri possit.

XXVI. In eadem Provincia idem liber exhibet alterum Visitatoris exemplum epist. 88. indict. 2. Tadinatensis Sedis per obitum sui Præsulis viduatæ. Munus Visitatoris demandavit Gaudioso Episc. Eugubino per illa verba: *Cognoscentes Ecclesiam Tadinatem diù Sacerdotis proprii regimine destitutam, Fraternitati tuæ ejusdem Ecclesiæ Visitationis operam solemniter delegamus; & ideò ad prædictam Ecclesiam ire properabit, & assiduis adhortationibus, &c.*

Et

Et epiſtola 89. ſequens directa Clero, & plebi Tadini, eadem repetens de electione Viſitatoris Gaudioſi Eugubini, eoſdem hortatur ad celerem Epiſcopi electionem. Tadinum Umbriæ erat vetuſtiſſima Civitas, quæ deindè perpetua unione fuit copulata cum Cathedrali Nucerina. Illius veſtigia modò viſuntur via Flaminia propè Gualdum, & de ea Cluverius, cæterique Geographi.

XXVII. Ab Umbria ad Picenum nos revocat epiſt. 91. ejusdem libri 7. in ea Summus Pontifex certiorem reddens Severum Epiſcopum Anconitanum de liberatione Civitatis Auſinæ, ſive Æſinæ, illi demandat, ut tanquam Viſitator ejus curam ſuſcipiat, & regimen. Lucas Holſtenius in ſuis ad Sacram Geographiam adnotationibus legendum putavit, *Auximæ*. Eſt autem Auximum, vulgò *Oſimo*, Urbs Piceni Suburbicarii, nunc Marchiæ Anconitanæ: Urbs verò Auſina, vulgò *Jeſi*, ſpectat ad Picenum Annonarium. Verba S. Gregorii ſunt: *Poſtquam Civitas Auſina* (meliùs legendum *Auxima*, quia Anconitanæ Sedi proximior) *Deo adjuvante eſt recuperata, atque à Republica teneri dignoſcitur, magna de Eccleſia ſolicitudo babenda eſt, maximè quia glorioſus filius noſter Baban Magiſter Militum à Nobis pro hac re auxilium ſperaſſe dignoſcitur; atque ideò ad Fraternitatem tuam præſentia curavimus ſcripta dirigere, ut eidem Eccleſiæ ex more Viſitator accedas, &c.* Sequenti epiſt. 92. more conſuetò hortatur Clerum, & Auximanos obedientiam præſtare advenienti dicto Viſitatori. Pag.271.

XXVIII. Meſenatenſis Eccleſia vacans in Campania eodem libro 7. epiſtola 25. indict. 2. obtinuit Fortunatum Epiſcopum Neapolitanum Viſitatorem: *Cognoſcentes*, ſcribit Viſitatori, *Meſenatem Eccleſiam Sacerdotis regimine deſtitutam, Viſitationis ejusdem Eccleſiæ Fraternitati tuæ operam ſolemniter delegamus; quam ità te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus Clericorum, redditu, ornatu...... Et ideò charitas tua ad prædictam Eccleſiam* Pag.241.

ire

ire properabit, & assiduis adhortationibus Clerum, plebemque Ecclesiæ admonere, &c. Pariter scripsit Mesenatensi Clero, & populo epist. 26. pro admonendis illis de debita obedientia Fortunato Visitatori præstanda: *Cognoscentes Ecclesiam vestram Sacerdotis regimine destitutam, curæ nobis fuit, Visitationem ejusdem fratri, & Coepiscopo nostro Fortunato solemniter delegare; cujus vos assiduis adhortationibus convenit obedire.* Mesenum Urbs est Episcopalis propè Cumam, & Puteolos in promontorio Prochytæ, & vulgò dicitur *Capo di Miseno.*

Hæc sunt illa, quæ ex registro Epistolarum Sancti Gregorii circa Episcopum Visitatorem in Provinciis Urbicariis destinatum eruimus, & ea exscripsimus, dùm viam sternent ad facultates Visitatoris dignoscendas, & simùl ad probandum Jus illud in Urbicarias, quod speciali Metropolitæ prærogativa competit Romano Pontifici.



C A-

CAPUT II.

Antiquam Canonicam disciplinam de Visitatore Episcopo à Metropolita deligendo in toto ferè Occidente viguisse ostenditur.



JACTA fundamenta de Visitatore Episcopo deligendo in Provinciis Urbicariis, quarum speciali modo Romano Pontifici, ut earundem erat Metropolita, cura spectabat, facilè comprobare poterunt, Jus illud in suis Provinciis fuisse reliquorum, qui dignitatem Metropoliticam obtinebant. An verò Jus illud in Nicœno canone 6. fuit à Magna illa Synodo Sedi Apostolicæ confirmatum, vel ab exemplo ejusdem aliis concessum, an alius sit illius Canonis sensus, non est hujus loci disquisitio. Nobis sat erit, Sedem Apostolicam eam facultatem obtinuisse ab antiquis temporibus, ut dixerat Joannes Diaconus in Vita Sancti Gregorii, & semper ad usque viguit electio Visitatoris Episcopi, ab eadem fuisse adhibitum, & demandatum hocce munus.

Occidentis Metropolitas eadem prærogativa in suis Provinciis Episcopos Visitatores delegisse, testatum faciunt antiqua Ecclesiastica monumenta, ex quibus erit dignoscere Metropolitas, quousque electio à Clero cum populorum suffragiis peracta est, vacantibus Ecclesiis dedisse Episcopos Visitatores, eo vel maximè ut electio pacificè, remoto partium studio peageretur: cum verò in Episcoporum electionibus nova sint invecta in præcipuis Occidentis partibus, sensim ea desiit disciplina, nec ampliùs per Episcopos Visitatores, sed per Capitula, & ejus Vicarios Capitulares vacantes Ecclesiæ gubernantur.

Orien-

Orientalis porrò Ecclesiæ disciplina circa viduatas Ecclesias non videtur eadem fuisse cum ea Occidentalium, dùm frequentiùs Visitatoris munus iidem Metropolitæ sibi assumerent in suis Provinciis; & erat illorum incuriæ tributum, si vacationis tempore Ecclesiæ bona dilapidarentur, vel futuri Episcopi electio ultrà tres menses protraheretur. Extat de eo canon. 25. Chalcedonensis, qui ità præcipit: *Quoniam quidem Metropolitani commissas greges negligunt, & ordinationes Episcoporum facere differunt, placuit Sanctæ Synodo intra tres menses ordinationes Episcoporũ omninò celebrari*. Quæ verò observarent Orientales tempore Ecclesiæ vacantis describitur ab Isacio Heberto in suo Pontificali Græcorum, Ἀρχιερατικῷ, *in edicto, quod dari solebat à Patriarcha Metropolitano, & Archiepisc. quum ordinatur*, & habetur p. 312. ubi suas addit eruditas observationes Hebertus. Quique pagina 543. adfert: *Canones Ordinationum*, suntque canones quadragintaseptem.

Intrà Occidentalium limites persistentes, vestigia nostræ disciplinæ circa Visitatores Episcopos ibidem erunt consideranda, quæ utique dilucidè comprobabunt, consuetudinem illam usurpatam fuisse etiam à Provinciis Galliarum, Angliæ, Hispaniæ, Germaniæ, & Africæ, dùm earumdem Metropolitæ vicinis Episcopis Visitatorem Episcopum viduatis Episcopalibus Sedibus deligebant, & ordinario jure pro tempore vacationis Visitatores exequebantur demandata munia.

Italiæ Visitatores. Italiam quidem in duobus suis spectabilioribus Metropolitis eam facultatem Metropolitico jure exercuisse constat, tùm ex superiori capite; tùm ex eo, quod duplex illa Metropoleos dignitas, quæ Sedi Apostolicæ, & Mediolanensi Episcopo spectabat, in eo officio demandando perpetuò enituit. Apostolica quidem Sedes, quæ præter jura primatialia in Orbem universum ex Christi institutione; præter Patriarchalia jura, ob quæ scripserat Arelatensis Synodus in epistola ad

Anno 314. tomo 1. Concil. Lab. p. 1429.

ad Silvestrum, quod *Sedes Romana in Occidente majores Diœceses habet*; sic enim habet textus: *Placuit etiam antequam à te, qui majores Diœceses tenes, per te postimum omnibus insinuari*. Et Sanctus Basilius epist. 10. ad Sanctum Gregorium Nazianzenum dixerat, eamdem esse *Antesignanam totius Occidentis*. De quo argumento plura dilucidè,& nervosè retractat Allatius de perpetua Consensione utriusque Ecclesiæ lib. 1.obtinebat quoque ampliores Provincias jure Metropolitico. Rationabili quidē ex causa; cùm enim Magistra Orbis esset, eique demandatum confirmare Fratres, & indè ex universo Christiano Orbe perpetuis relationibus cōsultaretur,idcircò adjutores prę̄stò ipsi debebant adesse, qui præcipuè in Synodo Provinciali, ubi quandoque eæ ventilandæ committebantur,rem examini subicientes, plenum judicium supremo Capiti reservabant: uti videre licet in pluribus Romanis Synodis priorum temporum.

Metropoliticum itaque Sedis Apostolicæ jus in decem Urbicarias Provincias antiquissimum fuisse,satis demonstrant adducta testimonia. Duo alia exempla referuntur in Decreto Gratiani ejusdem Metropoliticæ dignitatis in constituendis Visitatoribus Episcopis. Primum legitur in cap.*Ità nos Scyllacenorum* 26. qu. 1. & est desumptum ex epistola decretali Gelasii; in ea verò dignitatem Episcopalem à Civitate Squillacensi Brutiorum aufert, ob necem illatam successivè duobus Episcopis: neve ob illa facinora reliqui, qui non consenserant sacrilegio, simùl plecterentur, mandat Pontifex viciniori Episcopo, *ut Squillacinæ Ecclesiæ præberet ministerium Visitationis*; & rationem addit: *ne cùm devitemus zizania, Dominica videamur præterire frumenta*. Alterum exemplum desumitur ex Pelagio, cujus verba referuntur in cap. *Casanensis* dist.61. in quo Visitationis munus demandat Eucarpo Messanensi Episcopo in Ecclesia vacante Casanensi.

Tempus si inspiciamus, quo Sedis Apostolicæ Antistites, uti dictarum Provinciarum Metropolitæ consuevere

D ejus-

ejusmodi Episcopos Visitatores designare, ultrà nonum sæculum durasse eruimus ex epistola 108. Joannis VIII. in qua plura exhibentur circa facultates Episcopi Visitatoris. Immò ad undecimum sæculum vestigia ejusdem disciplinæ apparent in Gregorio VII. qui, ut compesceret laicorum Principum usurpationes in canonicis electionibus anno 1079. in Romana Synodo, priorem observantiam reparare voluit can. 6. *Quoties defuncto Pastore alicujus Ecclesiæ, alius est ei canonicè subrogandus, instantia Visitatoris Episcopi, qui ab Apostolica, vel Metropolitana Sede directus est; Clerus, & populus, remota omni sæculari ambitione, timore, atque gratia, Apostolicæ Sedis, vel Metropolitani sui consensu Pastorem sibi secundùm Deum eligant.*

Visitatores in Diœcesi Italica.

Mediolanensis Sedes spectabilissima erat altera Italiæ Metropolis, ejusque Diœcesis in septem Provincias divisa; quæque *Italica Diœcesis* dicebatur, in illis jure Metropolitico Episcopos Visitatores deligebat. Omnis itaque Italiæ regio in septemdecim Provincias fuit recollecta, juxtà priorem Ecclesiasticam Provinciarum divisionem: decem priores suberant Metropolitico jure Sedi Apostolicæ, septem reliquæ Mediolanensi eadem prærogativa; sic ut ea, quæ erant juris Metropolitici ab eisdem exercerentur. Visitatores porrò Ecclesiarum vacantium in Italica Diœcesi, qui erant pariter Episcopi, *Commendatores* Ecclesiarum vacantium consuevere appellari. Id elucet ex Sancto Ambrosio ejusdem Diœcesis Archipræsule, qui vacantem Sedem ad Forum Cornelii, vulgò *Imola*, regendam tradidit Constantio Episcopo, per hæc verba: *Commendo tibi Ecclesiam, quæ est ad Forum Cornelii, ut frequenter intervisas, donec ei ordinetur Episcopus.*

Visitatores in Gallia.

Occidentis modò reliquæ amplissimæ Diœceses erunt perlustrandæ, inspiciendo an eadem fuerit disciplina, quæ in Italia circa vacantes Ecclesias in designatione Episcopi Visitatoris facienda per suum Metropolitam. Et quidem primò sese

ſeſe offert examinandum Joannis II. conſtitutum, qui cùm ob ſua crimina Contumelioſum Epiſcopum perpetuæ depoſitionis ſententia damnaſſet, Arelatenſi Primati onus demandat, ut in ea Contumelioſi Eccleſia Viſitatorem Epiſcopum conſtituat. Tres igitur illius argumenti ſunt Epiſtolæ apud Baronium anno 534. num. 9. I. data eſt cunctis Galliarum Epiſcopis, in qua denunciat Contumelioſi crimina gravia, & in ipſum depoſitionis latam ſententiam. II. inſcripta eſt Cæſario Primati Arelatenſi, cui Eccleſia Regienſis, quæ fuerat Contumelioſi, erat ſuffraganea; illique demandat onus providendi de legitimo Viſitatore. In tertia Clero Eccleſiæ Regienſis præcipit, obediendum Epiſcopo Viſitatori, quouſque novi Antiſtitis electio canonicè fieret. Agapetus Joannis II. ſucceſſor Cæſari eidem aliam epiſtolam ejuſdem argumenti direxit. Satis verò elucet Cæſario Primati datam fuiſſe eam auctoritatem, ut Viſitatorem conſtitueret, cùm ſcribit in epiſtola ad Clerum ejuſdem Eccleſiæ: *Quia hujusmodi ſceleribus implicatus Sacerdotii non poteſt miniſteria jam tractare, neceſſaria vobis ſolatia credimus Viſitatoris adiungere: & ideò in Eccleſia ejus Viſitatorem dari noſtra decrevit auctoritas, ut Eccleſia ſua privata Præſule, Summi nequeat Pontificis ſolatiis indigere: cui vos in omnibus parere decrevimus ad ea tantummodò, quæ ſacris ſunt gerenda myſteriis, ità tamen ut nihil de Eccleſiaſtica facultate præſumat; ſed Clerus in eo quo nunc eſt ordine conſtitutus, nullis gradibus promoveatur, donec proprium Sacerdotem poſſit habere. Omnem verò hanc ſolicitudinem Cæſario fratri, & Coepiſcopo noſtro injungimus, ad cujus curam cuncta, quæ neceſsè ſint, pertinere cenſuimus, &c.*

Apud Lab. ſub Jo. II.

In Galliis itàque circa Viſitatoris Epiſcopi delegationem hanc conſuetudinem fuiſſe obſervatam ex canonicis eorumdem temporum inſtitutis in Conciliis earumdem regionum editis, dignoſcere licuit. Viduatæ igitur Eccleſiæ vicinior Epiſcopus advocabatur, ut juſta perſolveret, & funus

ritè fieret, quique, ut Visitator regimen Ecclesiæ suscipiebat. Per septem dies funeris poterant alii Episcopi interesse, quibus elapsis, inconsulto Metropolitano, ibi persistere, canones Concilii Regiensis ann.439. vetabant. Sic enim legimus can. 6. & 7. *Nequis ad eam Ecclesiam, quæ Episcopum perdidisset, nisi vicinæ Ecclesiæ Episcopus exequiarũ tempore accederet, qui Visitatoris vice tamen statim Ecclesiæ ipsius curam districtissimè gereret, ne quid antè ordinationem discordantium in novitatibus Clericorum subversioni licere, &c.* Et can.7. subdit: *Hæc autem omnia exequiarum tempore usque ad septimum defuncti diem agat: exindè se Ecclesiæ referens, mandatum Metropolitani, simùl cum omnibus sanctis Episcopis opperietur; nec quisquam ad Ecclesiam, quæ summum amiserat Sacerdotem, nisi Metropolitani literis invitatus accedat.*

Tom.3. Cont. Lab. pag.1288.

Quando Episcopus gravi infirmitate detinebatur, ut nõ posset solicitudini pastorali incumbere, munus Visitationis demandatũ legimus in Vermerien.II.Concil.an.853. proprio Archiepiscopo. Graviter ægrotabat Herimannus Episcopus Nivernensis, impeditusque à curis regiminis, injunctum fuit, ut Oeconomus Ecclesiæ bona custodiret, & Weniloni Archiepiscopo Senonensi datum in jussis à prædicto Concilio can. 11. cùm Sedes Nivernensis suffraganea esset eidem, *ut conveniens studium impertiri curaret, & Ecclesiæ Nivernensi ea, de quibus indigeret, Visitatorio officio impenderet, aut ordinaret; quousque æstivum tempus, quod hujusmodi infirmitati, qua impediri dicebatur, pertransiret.* Datum itaque fuit Visitatoris munus à Vermeriensi Synodo Senonensi Metropolitæ pro tempore infirmitatis: quod similiter factum in Ecclesia Ariminensi ob infirmitatem Castorii à Beato Gregorio, qui Visitatorem Episcopum constituit. Acta prædicti Concilii dicto anno leguntur apud Labbe to.8. Conciliorum pag.99. & 100. Extat etiam constitutum Concilii Meldensis anni 845. can. 47. ubi: *Si Episcopus ministerium*

sterium Ecclesiasticum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in Archiepiscopi hoc, cum voluntate Episcopi ejusdem Ecclesiæ, maneat ordinatione, qualiter debitum officium non remaneat.

Disciplinæ istiusmodi vigor in Regnis Galliarum, ut viduatæ Ecclesiæ Visitator Episcopus daretur, elucet etiam ex epistola Leonis Senonensis, data Childeberto Regi Francorum, extatque tomo 1. Conciliorum Galliæ fol. 288. in qua, cùm per aliquod temporis sine Visitatore viduata suo Pastore Meledunensis Ecclesia perstitisset, neve negligentiæ verteretur Metropolitæ Leoni Senonensi, cui suberat dicta Sedes, in ea epistola de eo se excusat, & rationem assignat cur Visitatorem illicò non destinaverit: *Quia interclusis itineribus ad eos Visitatorem mittere non possumus, ista culpa nos non respicit; quia si iter interclusum tanto tempore non fuisset, Visitatorem, sicut Canones statuunt, destinaremus.*

Quænam verò essent facultates Visitatoris Episcopi in Galliis, ostendit vetus formula electionis, seu decretum Caturcensis Ecclesiæ, relatum in tomo 8. Spicilegii Acheriani, & à Domino du Fresne in Glossario verbo *Visitator*, ubi ea forma, & facultates Visitatoris describuntur: *Prisca, modernaque Ecclesiarum regimina suis sanxere canonibus; quod arripientibus viam universæ terræ, quarumlibet Sedium Præsulibus per viciniorem Episcopum, aut per alium, cui Archipræsul injunxerit, extincti fratris tumulatorem, orbatæque Sedis Visitatorem, sine cujus conscientia, nihil penitùs fieri, prohibent sacri canones....... Tunc perficiatur Ecclesiasticarum rerum inventarium, & dispositis Oeconomis viduata Ecclesia commendetur....... Postmodùm Cleri, plebisque desideriorum consensus requirat..... & universa fideliter notitiæ Archiepiscopi significentur..... Ità pariter Metropolitano Dominica vacatione rebus humanis, vitaque perfuncto, hæc eadem fideliter peragenda sunt à Visi-*

à Visitatore, aut Tumulatore Episcopo, & omnium Dioecesanorum cognitioni, si fieri potest, significanda; & quod Urbes, quas Gentilium temporibus habebant idololicolæ flamines, nunc gubernent Christiculæ Præsules.

Præcipuum verò Visitatoris munus erat, ut sua præsidentia, consilioque ità ad electionem novi Antistitis disponeret res, ut omnis tumulus evitaretur, qui solet plerumque adesse, dùm partium studia, & ambitio, plerumque cuncta perturbent. De quo exstat constitutum Symmachi ad Hilarium Arelatensem in epistola: *Decretum sine Visitatoris præsentia nemo conficiat, cujus testimonio Clericorum, & Civium possit unanimitas declarari.*

Visitatoris non erat in eodem Regno bonorum Ecclesiæ curam, & dispositionem habere, sed vel Oeconomis, ut prædictum laudatum decretum Caturcense edicit: *Tunc verò prioribus viduata Sedes, dispositis Oeconomis commendetur:* vel Archidiacono, quod ità statutum legimus in laudata epistola Agapeti ad Cæsarium Arelatensem in causa Contumeliosi, qui Sedem Apostolicam cùm appellasset, voluit, ut Visitator interim daretur, dùm causæ judicium Romæ agebatur, & Archidiaconus patrimonii Ecclesiastici solicitudinem subiret: *Patrimonio Ecclesiæ Regiensis in gubernatione Archidiaconi constituto, Visitatorem in locum Episcopi Contumeliosi præcipimus ordinari.* Prisca est enim hæc consuetudo, Visitatorem videlicet non debere sese immiscere in bonorum, & patrimonii Ecclesiastici administratione, sed eam relinquere Archidiacono, vel Oeconomo. Quod firmatum est à Concilio Chalcedonensi can. 25. *Ecclesiæ viduatæ redditus penès Oeconomos integrè serventur.*

Qua verò diligentia, qualive studio Ecclesiarum Antistites Regni hujus munus exequerentur, dignosci facilè poterit ex antiquis Visitatorum formulis, seu decretis, extantibus in calce tomi 2. Conciliorum Galliæ, quas formulas in sua celebri Conciliorum collectione edidit Labbeus; quarum præ-

præcipuas deſcribemus ſequenti capite, cùm plurimum noſtram hanc diſſertationem illuſtrabunt; illisque addere voluimus aliquas à Dacherio relatas tomo 8.

Elucet pariter officium Viſitatoris ex nomine, quo & Viſitator, Commendator, & Conſolator dicebatur. Hinc Dacherius loco laudato refert decretum Dagoberti Archiepiſcopi Bituricenſis, qui ſpeciali vocabulo Viſitatorem appellavit, *viduatæ Eccleſiæ Conſolatorem*

Aliqua alia demandatæ Viſitationis exempla in iſto Regno per ſuos Metropolitas addere voluimus, ut antiqua Viſitatoris Epiſcopi deſignatio in vacantibus Eccleſiis numeris omnibus appareat probata. Remenſis Eccleſia, quæ auctoritate, & præminentia inter cæteras Galliæ primatiales Sedes præfulſit, hos Viſitatores ſpeciali Sedis prærogativa deſignaſſe teſtatum reliquit Frodoardus lib. 3. cap. 13. & lib. 4. cap. 3. præcipuè Hincmari ætate, qui viduatis Sedibus Epiſcopalibus Merinenſi, & Tornacenſi Viſitatores delegit. Ità ejusdem ſucceſſor Fulco, devaſtato à Normannis Epiſcopatu Terravenenſi, in ſolatium Eccleſiæ Viſitatorem delegit.

Obſervanda tamen eſt ſingularis hujus Regni diligentia, qua cùm vacantibus provideret, proſpiciebat, ne delectio Viſitatoris Epiſcopi præjudicium inferret propriæ Sedi. Indè ſi vacans Eccleſia longiùs diſtaret ab alia Sede Epiſcopali, ſic ut abſentia à propria Sede præjudicaret ſolicitudini Paſtorali, qua Antiſtes tenetur Clero, & populo ſibi commiſſo, non illi Epiſcopo, ſed Chorepiſcopis munus illud demandabatur, quique in antiquis formulis apud Ducherium loc. cit. appellantur, *Eccleſiarum Rectores, & viduatæ Eccleſiæ Conſolatores.* Indèque factum putamus, Abbates Lobienſes, qui regulariter erant Chorepiſcopi, vacantis Sedis Leodienſis regimen aſſumpſiſſe, uti refert Falconius in Chronico ejusdem Monaſterii. Et Sanctus Ledradus Epiſcopus Lugdunenſis in epiſtola ad Carolum Magnum teſtatur, Abbates Sancti Andreæ aſſu-

assumere consuevisse regimen Lugdunensis Ecclesiæ; cui muneri successere posteà Episcopi Eduenses. Virduensem Ecclesiam fuisse per duodecim annos subditam regimini cujusdam Amelberti Chorepiscopi, scribit Hugo Flaviacensis.

Pag. 117. Hinc Hincmarus in epistola ad Leonem IV. conquæritur de excessibus Chorepiscoporum, qui, Ecclesias vacantes, ut diù regerent, erant impedimento electioni, & interim dabatur locus usurpationi laicali per Principes sæculares, bona earundem Ecclesiarum invadentes. De quo Frodoardus in Historia Remensi lib.3. cap.10. Ad malum illud extirpandum à Synodo Meldensi can.44. fuere ab officio Visitatoris ità arctati: *Si verò Civitatis Episcopus objerit, nihil ex Episcopali ministerio specialiter Episcopis debito attentet: quia ex hoc magnum scandalum, & divisionem rerum Ecclesiasticarum, atque dilationem in canonicè ordinandis Episcopis, Dei Ecclesiis accedisse conspeximus.* Plura ibi ad compescendam, quam sibi vindicabant, Chorepiscoporum auctoritatem.

In Capit. Reg. Franc. tit.43. cap.8. Tandem ad perfectam hujus Visitatoris designandi consuetudinem hujus Regni considerandam, notandum Caroli Calvi constitutum, decernentis quidem juxtà statuta canonum, ut viduatæ Ecclesiæ à Metropolita daretur Episcopus Visitator, sic tamen ut Civitatis Comes, seu Moderator etiam custodia sua famularetur eidem, ne bona deprædarentur: *Si aliquis Episcopus objerit, Archiepiscopus ejus Sedi Visitatorem secundùm sacros Canones deputet, qui unà cum Comite ipsam Ecclesiam, ne prædetur, custodiat.*

Visitatores Angliæ. Regni Angliæ in eo munere designandi Visitatorem Episcopum in viduatis Ecclesiis usum exhibent Scriptores rerũ Ecclesiasticarum illius Regni, à quibus paucula adnotabimus. Simeon Monachus refert in Dunelmensi Ecclesia, vacante per obitum Sancti Cutberti, munus Visitatoris datum fuisse *Vualfrido Episcopo Eboracensi*. Pariter cùm Angliæ

Angliæ Rex *Cynenulphum Lindisfarnensem Episcopum carceribus inclusisset, eam Ecclesiam Agustaldensis Episcopus, donec placato Rege de custodia relaxatus in suam rediit Ecclesiam.* Rudulphus de Doceto testatur, quod vacante Ecclesia Londinensi, Edgarus Rex illam regendam commiserit Dunstano Wigornensi Episcopo, & sic Dunstanus Londinensem Ecclesiam commendatam habuit, non titularem. *In Ann. in Rege Edgaro an. 962.*

Martyrio cùm coronatus fuisset Sanctus Thomas Cantuariensis, vacans ejus Ecclesia sub munere Visitatoris administrata fuit ab Episcopo Roffensi, qui proindè dicebatur *Vicarius natus* ejusdem Ecclesiæ, præcipuè in functionibus Episcopalibus. Indè in Synodo Londinensi reciproca respectu utriusque Sedis hæc facultas est approbata, quod *Roffensis Antistes esset vacantis Sedis Cantuariensis perpetuus Visitator*; & similiter: *vacans Sedes Roffensis regenda esset ab Antistite Cantuariensi*. Hanc mutuam Episcopalium Sedium Visitationem alibi observatam fuisse, docet Lucas Dacherius tom. 8. Spicilegii, dùm refert concordatum Episcopi Lugdunensis, & Eduensis circa illud ipsum. *Sub Vuilelmo Eliēsi Episcopo.*

Plurimæ tamen circa vacantem Ecclesiam Cantuariensem ortæ sunt controversiæ, cui videlicet spectaret administratio tempore vacationis. Ad lites verò dirimendas consilium sumptum est, ut ea cura daretur Abbati S. Martini, qui erat Chorepiscopus in suburbiis Cantuariæ. Verùm curante Sancto Lanfranco Cantuariensi, ne duo viderentur eundem Episcopatum regere, ea auctoritas ab Abbate fuit ablata, restitutumque Roffensi, juxtà antiquam consuetudinem, ut esset vacantis Cantuariensis Visitator. *Ex Milone in ejus Vita cap. 13.* *Ex Gervasio Mon. cap. 30.*

Germaniam eamdem consuetudinem servasse, non ambigimus. cùm à Sede Apostolica per Sanctum Bonifacium ejusdem gentis Apostolum habuerit & fidem, & instituta. In Bonifacii verò Vita Annales Trevirenses referunt: *Zacha-* *Visitatores in Germania.*

riam Summum Pontificem Beatum Bonifacium doctrina, & operatione clarum Trevirensis, & Remensis Ecclesiæ Visitatorem, & spiritualium negotiorum provisorem constituisse, dùm Milo Tyrannus utrorumque bona teneret.

Visitatores in Hispania.

Ecclesiæ vacantes Hispaniæ, sicut reliquæ Occidentis, in munere Visitatoris Episcopi assumendo, sectabantur constituta canonica, itâ & eosdem speciali alio titulo *Commendatores* appellabant. Itâ in Synodo Toletana VII. can. 3. & in Synodo Valentina can. 4. de jisdem Visitatoribus sic statutum legimus: *Quia sæpè per absentiam Commendatoris exequiæ Episcopi differuntur, ità ut veneranda Pontificis membra, dùm tardiùs funerantur, injuriæ omninò subjaceant; Episcopus, qui post mortem fratris ad sepeliendum eum solet accurrere, infirmum magis, & adhùc in corpore positum admonitus visitare non differat...... ac recedentem à sæculo post oblatum sacrificium Deo, mox sepulturæ tradat diligentissimè, & superiùs constituta canonica non differat adimplere......... Si autem Antistes obitu repentino decesserit, & limitanei Sacerdotes de longinquo minimè adesse potuerint........ non statìm humetur, sed honorificè commendetur, donec sine mora invitato undecumque Pontifice, ab ipso, ut decet, solemniter tumuletur.*

Visitatores in Africa.

Africæ Provinciarum in designandis Visitatoribus consuetudo ea erat, ut viduatæ Sedi vel à Metropolitano, vel ab ipso Concilio Provinciali per seniorem Episcopum unus è vicinioribus designaretur, qui exequias defuncti curaret, & omnium bonorum curam susciperet ad usque novi Antistitis electionem. Plerumque Episcopus, qui eam solicitudinem suscipiebat, Intercessor dicitur, ut à V. Synodo Carthaginensi can. 8. Sicuti verò statuerat Regiensis Synodus, ne Visitator Episcopus eligeretur, ubi munus illud obibat, in Episcopum; ità Carthaginensis laudata cavet, Episcopum Intercessorem non posse eligi in Episcopum vacantis Ecclesiæ:

fiæ: immò si intrà annum opus electionis non fuisset peractum, dabatur alius Intercessor: *Nulli Intercessori licitum sit Cathedram, cui Intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis, vel seditionibus retinere; sed dare operam, ut intrà annum eisdem Episcopum provideat. Quòd si neglexerit, Intercessor alius tribuatur.*

Sanctus Augustinus epist. 163. mentionem facit Intercessorum, qui vacantibus Ecclesiis præponebantur in Africanis Provinciis, & ibi loquens de Donatistis, qui antequam in apertum, & dirum illud schisma prorupissent, jactabant se non præcipitanter fuisse divulsos à Cœciliano, sed eum priùs declarasse suspensum, & interim Ecclesiæ Carthaginensi dedisse Intercessorem. Undè in collatione Chartagin. lib. 3. cap. 21. & 22. hæc verba leguntur: *Narravit Fortunatus Episcopus Donatista, cùm cogitarent, ne culpa Cœciliani schisma fieret, dedisse quendam Interventorem populo suæ communionis apud Carthaginem constituto, antequam Majorinus adversùs Cœcilianum ordinaretur Episcopus.* Et lib. de Pastoribus, loquens de initiis schismatis Donatistici, ait: *Quòd à Secundino Tigistano Episcopo missi sunt Clerici, qui extrà Ecclesiam se congregaverunt, Visitatorem Carthagini posuerunt, & à Lucilla recepti sunt.* Erat Lucilla seditiosa mulier, Cœciliano infensissima, quæ schisma illud fovit. Interim illud adnotandum, etiam Visitatoris titulo fuisse compellatum, qui vacantis Ecclesiæ curam suscipiebat in Africa. Illud pariter adnotandum, eo temeritatis prosiliisse Donatistas, ut quasi Sedes Apostolica suis partibus adhæreret, suos Episcopos Romæ latitantes habuisse, illumque in Romana Sede Interventorem dixisse, quod fusiùs refert, & refellit temeritatem Optatus Milevitanus: & de Romano Interventore, & aliis, quos furtim miserant ad propagandum schisma hæc habet Sanctus Augustinus libro de unico Baptismo, asserens, quod *in Romana Sede, & alibi Interven-*

Lib. de Past. cap. 15.

tores furtim, longèque mittebant, donec deceptæ plebecolæ quasi proprios Episcopos ordinarent.

CAPUT III.

De electione facienda Episcopi vacantis Ecclesiæ cum assistentia Visitatoris Episcopi: & illustrantur antiquæ formulæ à Sirmondo editæ circa has Episcopales promotiones.



AGGREDIMUR explicandas facultates Episcopi Visitatoris, quarum præcipua erat, ut electioni novi Antistitis præsideret, ut debito, ac canonico ordine universa peragerentur. Jàm à primis sæculis sacrarum electionum ordo erat, ut Episcopus eligendus à Clero concordibus votis nominaretur, cum populi suffragiis, ac eorum acclamationibus. Antiquam hujusmodi formam descripsit canon Antiochenus 19. *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec ab Episcopis Provincialibus cum Metropolitani judicio consecrati.* Diù perduravit canonica hæc institutio, & licèt in Gallia, cum rerum dominia sæpiùs mutarentur, undè plures laicales usurpationes irrepserint, contra quas tamen, ut tollerentur abusus, Concilia conclamarint, ut in Aurelianensi III. can. 3. Avernensi can. 2. Aurelianensi V. can. 11. Parisiensi III. can. 8. Parisiensi V. can. 1. Remensi can. 25. & in aliis passim: quæ quidem in prima, & secunda Dynastia Galliæ præcipuè invaluere, dùm ad Principum nutus sacræ electiones agerentur, vel ex eorum imperio, vel electoribus obsequentibus, lai-

Concil. Antioch. an. 341.

laicalia jussa: tamen pristinæ integritati canonicam, & liberam electionem restituit Ludovicus Pius anno sui Imperii III. de quo extat Capitulare: *Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine Sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore; adsensum ordini Ecclesiastico præbuimus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri, & populi secundùm statuta canonum de propria Diœcesi.... ut exemplo, & verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant.* De hac itàque canonica, & ab omni laicali usurpatione libera electionis forma in præsentiarum erit agendum, discribendave formula, quam nobis exhibent antiqua illa decreta, quæ Sirmondus, & deindè alii edidere. *Lib. 1. Capitularii Reg. Franc. cap. 84.*

Sedes Episcopalis ut viduata erat, illicò Clerus Civitatis spectatissimos è proprio cœtu optimè instructos cum specialibus literis proprio Metropolitano dirigebat, & certiorem eum faciebat de Episcopi obitu. Unus regulariter è vicinioribus Episcopis dirigebatur, & ut justa persolveret, funeri assisteret, & uti Visitator vacantis Ecclesiæ regimen assumeret, & futuræ electioni ut Præses interesset.

Antiquissimæ hujus canonicæ institutionis rationem, & originem in Occidente exhibent Ecclesiastica monumenta superiori capite laudata, quæ & Visitatorum curam exposuere, & functiones, ad quas exprimendas variis nominibus donati fuere Visitatores: universalius in cæteris Occidentis Provinciis dicti erant Visitatores, ut ex Sancto Gregorio, & Galliarum Conciliis, actisque observabamus; quique in ea consuetudine, & munere perseverarunt ad undecimum usque sæculum, dùm Gregorius VII. avitam consuetudinem & reparavit, & in posterum sequendam conciliari decreto firmavit; & à Romano Pontifice uti Urbicariarum Provinciarum speciali Metropolitæ jure destinabantur; & à cæteris Metropolitis eadem potestate destinabantur in Provinciis subjectis: in Africa verò dicti fuere *Intercessores*, & *Interventores*, ut ex Carthaginensi dicebamus: quandoque *Commendatores*, & *Consolatores*. *Concil. Carthagin. an. 418.*

Epi-

Episcopus Visitator cùm adventasset ad Ecclesiam vacantem, inter primas solicitudines demandati officii curabat, Clerum, & populum viduatæ Ecclesiæ commonere de futuri Antistitis electione; ad quam convocabantur Cathedralis vacantis Canonici, Rectores Paræchiarum ejusdem Urbis, Clerici reliquorum Monasteriorum, Presbyteri Paræchiarum ruralium, qui per seipsos, vel per speciales deputatas literas transmittebant de eorum, & Civium consensu: tandem Cives, & Nobiles laici Civitatis interesse solebant. Quod ità exprimit Formula XI. *Quæ electio non tantùm à Civitatis Clericis erit agenda, verùm & de omnibus Monasteriis ipsius Parochiæ, & de rusticanarum Parochiarum Presbyteris occurrant Vicarii, commorantium secum concordia vota ferentes. Sed & laici Nobiles, ac Cives esse debebunt. Quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.* Hujus consuetudinis etiam mentionem faciunt constituta Cœlestini, Leonis, aliorumque Summorum Pontificum, qui in ponderandis electionibus, & ejusdem legitimam celebrationis formam exigebant, ut in ea convenirent: *Vota Civium, desideria populorum, bonoratorum arbitrium, electio Clericorum, & Ordinis consensus.*

Cœtu adunato, & congregatis omnibus, familiarem sermonem habebat Visitator, mandabatque perlegi Canones, & Decreta Summorum Pontificum, & Conciliorum: in illis verò præmonstrabatur recta idea eligendi, & forma electionis, & eligendorum qualitates, ut electio diceretur canonica, nec uti vitiosa, & contrà canones irritaretur.

Omnibus his anteactis, diligentiori cura Visitator prospiciebat, ut in electionis ordine procederetur: & cùm unanimis consensus eligentium in alicujus personam comprobatus esset, peculiare decretum Visitatoris manu roboratum electoribus subscribendum tradebatur: ejusque decreti occurrit frequens mentio in Epistolis Sancti Gregorii Magni. Decretum ità firmatum à certo eligentium numero Metropolitæ

politæ deferebatur, qui fidem facerent de actorum veritate: eodemque tempore electus Metropolitam conveniebat, ut sese examini subjiceret.

Metropolita interim Comprovincialibus, ac Vicariis epistolam dabat, diemque indicabat, & locum, ubi adventarent pro examine tùm decreti electionis, tùm personæ electæ. Antistites, qui impediebantur, Vicarios, seu proprios Legatos mittebant cum literis *tractoriis*, seu *tractatoriis*, ut loco ipsorum prædicto examini interessent. *Tractoriæ*, seu *tractatoriæ* epistolæ erant illæ, quibus ea ætas utebatur, cùm Vicariam potestatem delegaret iis, quos ad electiones, aut ad Synodos transmitterent: uti constat ex Formulis XI. & XIV. quæ continent exemplar tractatoriæ epistolæ, qua Prudentius Tricassinus Episcopus delegavit suo Vicario facultatem adstandi pro examine decreti electionis Episcopi Parisiensis. Extat monumentum horum omnium in examine Episcopi Catalaunensis, quod legitur Formula XI. *Anno ab Incarnatione Domini 868. convenientibus apud Carisiacum in Ecclesia pro examinatione Vuilleberti Presbyteri, qui futurus erat Catalaunensis Episcopus, Hincmaro Diœcesis Remensium Archiepiscopo, item Hincmaro Laudunensium Episcopo, Hodone Belgivacorum Episcopo, cum Legatis Hortadi, Erpoini, Hilmeradi, Raginelmi, & Joannis, ejusdem Diœcesis Coepiscoporum, vicem eorumdem Patrum suorum cum tractoriis, sicut regulæ præcipiunt exhibentibus.* Quo etiam sensu can. 76. Africanus tractatorias literas compellat, quibus Metropolitanus ad Synodum vocabat suos Comprovinciales. De quibus fusè Bernardinus Ferrarius de Ecclesiasticis Epistolis. *In Can. Africanorum collectione.* *Lib.2.cap.1.pag.86.*

Comprovinciales Episcopi, cùm per mandatum Metropolitæ convenissent, communi cœtu examinabant electionem, & electi Antistitis personales qualitates, & speciali diligentia scrutabantur, an aliquod adesset canonicum impedimentum: secundò, ejus fidei puritatem in edita Profes-

sione

ſione Fidei: tertiò, doctrinæ præſtantiam. Quæ omnia in ſacris canonibus, qui ſunt de electione ſacrorum Antiſtitum, diligentiſſimè ponderanda præcipuntur. Si aliquid tale impedimentum fuiſſet detectum, prima electione infirmata, dabatur locus ſecundæ jiſdem.

Quandoque eveniebat eligentium vota juxtà partium ſtudia diviſa fuiſſe; & tunc erat Metropolitæ præferre, qui majoribus qualitatibus præfulgebat, & in quem plura convenerunt vota. Quando verò electores ſcienter perſonam indignam in Epiſcopum eligebant, præter pœnam ad præſcriptum ſacrorum canonum, cui ſubjecti erunt, eo caſu ad Metropolitanum devoluebatur electio cum Epiſcopis comprovincialibus. Eam tunc fuiſſe Metropolitani prærogativam docent Synodus Laodicena, & alia canonica conſtituta, præcipuè Sancti Leonis epiſt.84. quæ eſt ad Anaſtaſium Theſſal. ubi num. 5. *Cùm ergò de ſummi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebisque conſenſus concorditer poſtularit: ità ut, ſi in aliam fortè perſonam partium ſe vota diviſerint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & ſtudiis juvatur, & meritis: tantùm, ut nullus invitis, & non petentibus ordinetur, ne Civitas Epiſcopum non optatum, aut contemnet, aut oderit, & fiat minùs religioſa, quam convenit, cui non licuerit habere, quem voluit.* De quo vide Formulam IV. ubi inter alia: *Noſtro, ac Coepiſcoporum judicio refutata rationabiliter electione veſtra incongrua, talem ſecundùm Laodicenſes canones ſtudebimus eligere, qui veſtris vitioſis voluntatibus non valeat conſentire.*

Laodic. cap. 12.

Metropolitica iſtiusmodi jura circa examen decreti electionis & electæ perſonæ, circà facultatem declarandi legitimam electionem, aut infirmandi, ſi obſtaret canonicum impedimentum: & pariter dirimendi pleno judicio natas ex hac electione controverſias, perdurarunt ad duodecimum uſque ſæculum. Id teſtatum faciunt, quæ in epiſtolis decretali-

talibus, & Conciliorum constitutis legimus: uti videre est in can. *Quia diligentia*: cap. *Innotuit*: cap. *Cùm dilectus*, de electione. Semper tamen liber erat per appellationem ad Sedem Apostolicam recursus; uti accidit in electione Ivonis Episcopi Carnotensis, quæ firmata fuit ab Urbano II. contra rescriptum Richerii Senonensis Metropolitæ.

Discussis legitima electionis forma, & electi qualitatibus, Metropolita cum Episcopis comprovincialibus recenter electum consecrabat, & acta consecratione habitæ consecrationis epistolam eidem dabat, ut de ejus legitima promotione fidem faceret: pariter & Clero, & populo promoti Episcopi de eodem argumento alteram epistolam scribebat. De ea consuetudine extat Africanus can. 86. *Placuit, ut quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur, literas recipiant ab Ordinatoribus suis, manu eorum subscriptas, continentes Consulem, & diem, ut nulla altercatio de posterioribus, aut anterioribus oriatur*. Formulas verò prædictarum literarum exhibent Formulæ XIII. & XIV. & in earum locum sunt hodie Bullæ Summorum Pontificum. *In collect. Can. Afric.*

Fidei professionem Antistiti consecranti dabat consecratus, & quidem scripto. An conceptis verbis Metropolitano obedientiam promitteret, non ità est certum: solùm ex extantibus monumentis sacris deducitur, verbis generalibus promittere consuetos, se observaturos, quæ in sacris canonibus, qui eidem intimabantur antè consecrationem, erant præscripta: inter quæ certè legebantur, quænam essent suffraganei Episcopi erga suum Primatem obligationes. Scimus scripsisse Sanctum Leonem Magnum Anastasio Thessalonicensi epist. 84. de Attico: *Legebatur quoque in literis tuis, quas fidem Diaconi detulere, quod frater Atticus, Thessalonicam venisset, quòd consensum suum etiam scripturæ professione signasset, ut de illo non aliud à Nobis posset intelligi, quam proprii arbitrii, & spontaneæ devotionis fuisse, quod venerat, quodque chartulam de obedientiæ* *Epist. ad Anastas. Thessal.*

F *spon-*

sponsione conscripserat .... Non enim necessarium fuerat, ut obligaretur scripto, qui obedientiam suam ipso jàm voluntarii adventus probabat officio &c. Indè aliqui collegere, non fuisse eo tempore consuetudinem servatam, Metropolitano promittendi verbis expressis obedientiam. Sed ex eo textu non videtur, quomodò deducant, eum morem non fuisse usu receptum; nec damnat Sanctus Leo veluti novam consuetudinem scripto tradendi obedientiæ chartam; sed quod Atticum spontaneo adventu demonstrantem suam obedientiam Thessalonicensi, voluerit eundem compellere ad scriptam professionem; nec illic verbulum est de ordinatione Attici. Eam verò emissam sæculo sexto declarant Episcopi Patriarchatus Aquilejensis in libello oblato Imperatori Mauritio, ajuntque se tempore ordinationis suæ, cautionem scriptis emittere, qua sponderent se studiosè servaturos fidem Ordinatoris sui: *Suggerimus, pie Dominator, quia tempore ordinationis nostræ unusquisque Sacerdos in sancta Sede Aquilejensi cautionem scriptis emittimus studiosè de fide Ordinatoris nostri &c.* Pariter extat formula professionis Fidei Adalberti Morinensis Episcopi, quam antè consecrationem Hincmaro Metropolitano suo tradidit, ubi sic: *Privilegio enim Metropolis Remorum Ecclesiæ, ac ejus Præsulis secundùm sacrosanctos Conciliorum Canones, & Decreta Sedis Apostolicæ ex sacris Canonibus, & legibus promulgata pro scire, & posse absque dolo, & simulatione, vel indebita, & pertinaci contradictione me obediturum profiteor.* Ità in formula XI. & in alia formula professionis Hincmari Episcopi Laudunensis data Hincmaro Remensi Metropolitæ.

De Marca lib. 6. cap. 3. pag. 184.

Apud Baron.

Metropoliticum hujusmodi jus elucet ex celebri de eo jure controversia inter Avunculum, & Nepotem duos Hincmaros Remensem unum, Laudunensem alterum. Hic enim priori scribens, sic ad rem nostram loquitur: *In Remensi Provincia, si fuerit defunctus Episcopus, Ego, & non Tu Visi-*

Visitatorem ipsi viduatæ Ecclesiæ designabo, & electionem cum decreto canonico præcipiam fieri; & si in partes se eligentium vota diviserint, meum, & non tuum erit eligere, qui majoribus ad ordinandum juvetur & meritis. Addit deindè hæc verba: *Et meum est ordinandum examinare, & non tuum.* Quibus verbis innuit, speciali prærogativa Metropolitanum qualitates electi spectare debuisse, & de illis interrogare. Cognitis, probatisque jis, quæ ad canonicam electi idoneitatem spectabant, Metropolitanus consecrabat cum aliis, & ipse epistolas factam electionem denunciantes, primo subscribebat. Hinc Laudunensis Hincmarus prosequitur: *Tuum est cum aliis mecum ordinare Episcopum, & literis canonicis, quas ordinatus ab ordinatoribus suis jubetur accipere, post me in tuo loco subscribere.*

Ex dictis liquidò apparet, quæ olim fuerint solemnitates in hisce electionibus servatæ, quas eo fine recensuimus, ut lucidiùs appareat deputatio Episcopi Visitatoris, cujus regimini commendabatur Ecclesia vacans. Potioribus monumentis antiquissima illa consuetudo firmata manebit, si veteres formulas adnotabimus in Episcoporum promotionibus usu receptas, à cl. viro Jacobo Sirmondo primum in lucem editas in fine tomi 2. Conciliorum Galliæ, & ex sexdecim quædam pauca exscribam.

Prima Formula de Nuncio denunciante Ecclesiam vacantem.

Primo loco legimus formulam, quæ continet epistolam Metropolitæ, qui post Nuncium habitum de Ecclesia viduata, Visitatorem constituit. Ea exhibet epistolam Hincmari Metropolitæ Remensis ad Carolum Galliæ Regem, *ut Clero, & plebi Sylvanectensi permittat electionem novi Antistitis.* Deindè: *Veniam petit à Rege, ut Episcopum Visitatorem designare possit, qui præsit electioni.* Legitur prætereà interrogatio Hincmari, à Nunciis missis ab Ecclesia Sylvanectensi, expostulantis: *Si haberent aliquam designatam personam, cui in pace Cleri, & plebis consentirent.* Respondentes Nuncii: *Se non aliam petitionem ex parte So-*

 ciorum

ciorum suorum adferre..... quatenùs, secundùm sacras regulas, Canonico Visitatore directo, ab omnibus Ecclesiæ alumnis valeat eligi, cui ab omnibus debeat obediri. Reponit Hincmarus: *Digneris, clementissime Domine, mihi literis vestris significare, quem vultis de Coepiscopis nostris, ut ei ex more literas canonicas dirigam, & Visitatoris officio fungens in eadem Ecclesia canonicæ electioni intersit.* De Canonicis Epistolis, earumque forma, & cur à Primate Episcopis dirigerentur plura laudatus Ferrarius toto libro 1. præcipuè cap. 6. pag. 33.

De Visitatoris Episcopi per Metropolitam deputatione.

Formula secunda continet exemplar Epistolæ adhibitæ in deputando Visitatore Episcopo occasione viduatæ Cameracensis: in ea idem Hincmarus mandat Hedenulfo Laudunensi Episcopo, ut Visitatoris officio fungeretur in illa Ecclesia pro electione Cameracensis, & inter alia hæc scribit: *Moneo te, frater charissime, ut ejusdem Ecclesiæ officio Visitatoris nostra Metropolitana delegatione suscepto, ad eandem Ecclesiam studeas properare.* Reliqua prosequitur jisdem ferè verbis, quibus Beatus Gregorius in suis Epistolis consuevit vacantibus Ecclesiis Visitatorem delegare. Subdit deindè Hincmarus: *Formam autem electionis, qualiter, & qualem eligere debeant, tua dilectioni transmitto, quam publicè, & coram omnibus relegi facias, ne de ignorantia quilibet valeat se excusare.*

Metropolitæ epistola ad Clerum viduatæ Ecclesiæ.

Tertia formula exhibet Metropolitæ epistolam datam Clero, & plebi Ecclesiæ vacantis de obtemperando Episcopo Visitatori, & est ejusdem Hincmari Remensis; & in ea Clerum hortatur, ut dignam faciant electionem cum assistentia Visitatoris Episcopi, & reliqua, quæ pro simili actione scribebat Beatus Gregorius. Tandem subdit: *De cujus electione decretum canonicum unanimi voto agere, & singillatim omnium vestrum manibus in præsentia Hedenulfi vestri Visitatoris roborare satagite.*

Bello-

Bellovacensis viduatæ Ecclesiæ status quartam habet formulam, in qua idem Remensis inter alia insinuat formam rectæ electionis; *Ità vos cum studiis Reverendi Fratris, & Coepiscopi, cui secundùm institutionem canonicam Visitatoris officium delegavimus*. Et paucis interjectis: *Decretum sine Visitatoris præsentia nemo conficiat, cujus testimonio Clericorum, & Civium possit unanimitas declarari*. Et demùm ad præscriptum canonis primi Carthaginensis IV. singillatim enumerat dotes animi, & corporis eligendi Antistitis, necnon canonica impedimenta, quæ ab electione retrahere possunt. *Ejusdem argumenti epistola.*

Quinto loco refert epistolam Cleri, plebisque Metropolis Remensis, & dicitur excusatoria: dùm Hincmari obitu, apud Episcopos Provinciales denunciati fuerunt, tentasse antè Visitatoris adventum ad electionem devenire. Omnibus itaque illis Episcopis directa est, & in ea profitentur, se misisse Abbatem quendam, *ut objectam falsitatem dilueret, se non ità præsumptuosè egisse ..... & sicut hactenùs abstinuimus, ità deinceps abstinebimus ab ullius certæ personæ electione, donec pietas Divina, & Regia clementia nobis concesserit Visitatorem*. Subscripti conspiciuntur Presbyteri, Monachi, & Nobiles laici Remensis Civitatis. Est & alia sequens epistola, in qua declarant unanimem consensum Clericorum, & Monachorum Remensis Ecclesiæ, qui omnes concordibus votis elegerunt Fulconem coram Visitatore. *Epistola excusatoria Ecclesiæ vacantis.*

Sexto loco reponit formulam Sirmondus admonitoriæ allocutionis, qua Visitator Episcopus omnem Clerum, & plebem viduatæ Ecclesiæ admonet circa faciendam electionem, & seorsim quemlibet ordinem adloquitur: eisdem proponit summatim sacrorum Conciliorum canones, qui præscribunt rectam methodum, & ordinem canonicæ electionis. *Allocutio Visitatoris Episcopi.*

Decretum factæ electionis, & modum in eo conficiendo proponitur in septima formula. Respicit verò illud ele- *Electionis decretum.*

electionem peractam à Clero Laudunensis Ecclesiæ, quæ elegerat Hedenulphum Episcopum. In eo de electione Hincmarum Remensem, & reliquos comprovinciales Episcopos certiores facit, & inter alia ista exscripsimus: *Quapropter cum decreto nostræ electionis, manibus singulorum nostrorum roborato, ad Paternitatem Vestram accedentes, Hedenulphum Ecclesiæ nostræ filium, & in nostra Ecclesia, suffragantibus meritis, ad onus Sacerdotale promotum, vita, & moribus, ac sancta conversatione idoneum approbatum, quem per licentiam vestram, favente Christianissimo Imperatore Carolo, pari consensu, & concordi devotione, unanimi voluntate elegimus.......... Actum V. kal. Aprilis anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVI. Regni Caroli XXXVI. & Imperii anno I.*

Alterum decretum.

Octavo loco describitur simile decretum Cleri, plebisque Parisiensis de promotione Æneæ ad Sedem Parisiensem. Subscripsere decreto Clerus universus matricis Ecclesiæ Parisiensis, Fratres Cœnobii Sancti Dionysii, Sancti Germani, Beatæ Genovefæ, ac Fossatensis Monasterii.

Metropolitæ electionis decretum.

Decretum universi Cleri Ecclesiæ Senonensis legitur formula IX. In eo describit Clerus electionem Angesisi, qui ex Diœcesi Remensi assumptus fuit ad regimen prædictæ Ecclesiæ; & est directum ad Episcopos Provinciæ Senonicæ: *Canonicis, & Apostolicis institutionibus sancitum est, ut quotiès Metropolis Civitas Pontificali ministerio caruerit, suffraganei ejusdem Metropolis convenire debeant, ut electionem futuri Pontificis cum consensu Cleri, & plebis facere...... Idcircò cum decreto electionis nostræ, manibus singulorum roborato, ad Paternitatem Vestram accedentes, Angesisum Presbyterum Remensis Diœceseos......... Actum........... Anno Domini DCCCLXXI.*

Decima

Decima formula continet seriem examinis Vuilberti electi Archiepiscopi Senonensis, instituti ab Hincmaro Remensi in conventu Episcoporum Remensis Provinciæ, & Senonensis. Monuimus supra, electum antè consecrationem debuisse sistere se, & subjici examini instituendo coram Metropolita, & Episcopis Provincialibus; & in eo rigorosum, strictumque agebatur examen vitæ, ætatis, qualitatis, morum, doctrinæ, patriæ, & ministerii electi, cum aliquibus etiam interrogationibus, quibus satisfaciebat electus; & approbantibus Episcopis ad consecrationem admittebatur. Hæc omnia lucidè in prædicta formula conspiciuntur. Eo respiciunt laudati canones, qui in Pontificali Græcorum leguntur, ut supra est observatum. Vestigia hujus antiquæ consuetudinis videntur in Pontificali etiam Romano sub rubrica *de scrutinio serotino*, in eo præscribitur, quod in Sabbato antè Dominicam consecrationis, lecto priùs per Archidiaconum viduatæ Ecclesiæ electionis decreto, adstabat Episcopus electus coram Metropolita, adstantibus aliis Provinciæ Episcopis; & peracto examine cum præscriptis benedictionibus, edictum, seu regulam regiminis Ecclesiæ à vetustis canonibus Sanctorum Patrum, & præcipuè ex Pastorali Gregorii Magni excerptam, ab eodem Metropolita electo Antistiti traditam fuisse dignoscitur.

Examen electi in conventu Episcoporum Provinciæ.

Fidei professionem emissam ab Adelberto electo Morinensium Episcopo exhibet formula undecima, illam emisit antè suam consecrationem Hincmaro Remensi; & in ea compendiosè profitetur fidem Catholicam juxtà definitiones Conciliorum generalium, & Symbolum Athanasianum.

Fidei professio electi.

Archiepiscopi electi Fidei professio in formula legitur numero duodecimo, etiam antè consecrationem emittendam. In hujus fine hæc verba habentur: *Beato Petro, ac Summo Pontifici ejus Vicario debitam subjectionem, & obedientiam, suffraganeis verò nostris adjutorium me exhibi-*

Altera Archiepiscopi electi.

bibiturum profiteor, & huic professioni meæ curam Deo, & Angelis subscribo.

Consecrationis testimonium.

Formula decimatertia exhibet documentum, seu testimonium consecrationis factæ Electranni Episcopi Redonensis in Provincia Turonensi hisce verbis: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXVI. indictione XIV. anno piissimi Regis Caroli XXVIII. tertio kalendas Octobris. in Parochia Turonica ordinamus, & ad Pontificalem Sedem Redonensis Ecclesiæ consecramus Electrannum electione, & decreto Cleri, & plebis ejusdem Ecclesiæ, Nos in Dei nomine Antistites Herardus Turonicæ Metropolis, Actardus Nannatensis, atque Robertus Cenomanensis*; aliique cum consensu diœcesanorum.

Consecrati admonitio.

Formula decimaquarta est tanquam epistola testimonialis. In ea legitur fides, seu documentum consecrationis Hedenulphi Episcopi Laudunensis factæ ab Hincmaro, & aliis Episcopis ordinatoribus, & incipit: *Sicut Beatus Papa Innocentius docet*; & in his literis testimonialibus solidè instruit consecratum Episcopum de perfecto modo, & regula regiminis, & quomodò se gerere debeat erga Clerum, & plebem, & hisce literis ità subscribebant: *Hincmarus sanctæ Metropolis Ecclesiæ Rhemorum Episcopus, & venerabilis fratris Hedenulfi in sancta Laudunensi Ecclesia, favente Dei gratia, Ordinator, his literis canonicis, & Ordinato, & Electoribus ipsius publicè datis..... Anno Domini DCCCLXXVII. Anno verò Caroli Imperatoris XXVII. in Gallia regnantis, Imperii verò sui Anno II.* Adiciuntur subscriptiones Episcoporum Provinciæ Remensis, nempè Episcoporum Bellovacensis, Noviomacensis, Catalaunensis, Suessionensis, Ambiacensis, & Sylvanectensis.

Formulas istas adnotatas dedimus, earum argumenta enunciantes, ut indè cum superioribus conciliaribus decretis easdem conferentes, conspiciatur qualis olim fuerit consuetudo

tudo servata, cùm viduata Ecclesia ab Episcopo Visitatore regebatur adusque electionem novi Antistitis, & quomodò cùm epistolis Sancti Gregorii cuncta correspondeant.

CAPUT IV.

De facultatibus Episcopi Visitatoris, & quando desierit ejusmodi munus demandandi vacantis Ecclesiæ regimen vicinioribus Episcopis: & incidentia dubia examinantur.



VISITATORIS Episcopi antiquam institutionem, & in sacris electionibus officium superioribus capitibus satis ostendimus. Pro complemento nostræ hujus Dissertationis, & ad veterem consuetudinem illustrandam, in unum putavimus colligendas facultates ejusdem: & ea data occasione incidentia dubia resolvere; ac tandem quomodò desierit in Episcopis hocce munus, & quando: Illa necessaria visa sunt examinanda, ad argumenti propositi intelligentiam.

Varias Episcopi Visitatoris fuisse facultates, facilè ex dictis deprehendi poterit. Claritatis gratia ad has quinque reducemus. Prima erat assistere funeri defuncti Episcopi. Secunda, inventarium facere patrimonii, seu bonorum viduatæ Ecclesiæ. Tertia, eligere ad illorum custodiam Oeconomos, dictos etiam Custodes. Quarta, regimen assumere, & viduatam Ecclesiam visitare. Quinta, demùm assistere, ac electionem maturare. De singulis singillatim agendum.

Prima itàque facultas erat, ut adstaret ad justa persolvenda Episcopi defuncti: & de ea agunt Synodi Valen-

Valentin. an. 524. tom. 4. Concil. Lab. pag. 1617. Tolet. VII an. 646. tom. 5. pag. 1836. Aurel. an. 533 pag. 1781. apud Lab. tom. 4. Troslejanum an. 909. to. 9. p. 559. ubi copiosè cũ plurium Conciliorum Decretis hanc consuetudinem firmat.

tina can. 4. Toletana VII. can. 3. Regiensis can. 2. Aurelianensis II. can. 5. & 6. Troslejana can. 14. In Valentina præcipuè, ubi cavetur, ne ob distantiam Metropolitæ ab aliquibus Episcopalibus sedibus, ad quem spectabat Visitatoris designatio, diu inhumatum staret cadaver, Episcopus vicinior ad istud pietatis officium invitaretur, ne dùm mortuo Episcopo, sed cùm fuerit prævisum certum obitus periculum, ut Episcopo ægrotanti succurreret, & solatium adferret, *& deindè recedentem à sæculo, post oblatum in ejus commendatione Sacrificium Deo, mox sepulturæ tradat diligentissimè, & superiùs constituta canonica non differat adimplere*. Duo insuper in præsenti quarto Valentino canone sunt adnotanda: Primum est, quod eluceat antiqua Ecclesiastica consuetudo, ut cadaver quousque super terram maneret, à cœtu Clericorum, & Monachorum jugi Psalmorum cantu Deo commendaretur. Secundum, quod si Episcopus vicinior adesse non potuisset, à Presbyteris conderetur, non tumularetur, nisi postquàm adventassent Episcopi, quorum erat eam solemnitatem agere; & de utroque addit Synodus: *Mos antiquus in sepeliendis Sacerdotibus observetur*. Cùm verò talis esset necessitas hujus ritus, proptereà Toletana VII. Synodus can. 3. decernit, ne invitatus Episcopus, justa cessante causa, detrectet pietatis illud officium negligere, alioquin à proxima Provinciali Synodo puniendus esset.

Officium hoc itàque Episcopi Visitatoris primum juxtà locorum, ac temporum conditionem, quandoque exercebatur per viciniorem Collegam; interdùm etiam per Visitatorem consuevisse fieri. Antiquam vocat eam consuetudinem Aurelianensis II. Synodus in can. 5. & 6. quia in pluribus aliis Synodis fuerat præscripta, & addit: *Quoniam in quibusdam opportunitas locorum se offert, ut ad exequias alicujus ex nobis, duo, vel tres Episcopi convenire possint, decet, ut sancta charitas se ostendat in mortuorum funeribus, quæ in*

in vivorum flagravit pectoribus, &c. Regiensis quidem Synodus supra laudata concedit viciniori Episcopo, ratione propinquæ Ecclesiæ, ut per septem dies *vicem Visitatoris* agat ad hocce munus persolvendum, illisque elapsis Visitator non accedat, nisi ex Metropolitæ mandato. Aurelianensis statutum elucet ex decreto electionis Episcopi Caturcensis apud Dacherium, ubi ad rem nostram: *Prisca, modernaque Ecclesiarum moderamina Theoloquelariis sanxere canonibus, quo accipientibus viam universæ terræ quarumlibet Sedium Præsulibus, per viciniorem Episcopum, aut per quemlibet alium Episcopum, cui Archipræsul injunxerit, extincti fratris tumulatorem, orbatæque Sedis Visitatorem, atque Consolatorem, præficiatur Ecclesiasticarum rerum inventarium.* Postrema hujus decreti verba viam aperiunt ad considerandum alterum ejusdem munus. *Tom.8. Spicilegii.*

Secundam fuisse Visitatoris Episcopi facultatem, inventarium conficere bonorum Ecclesiæ vacantis docent Synodus Valentina, Aurelianensis II. demandant enim Episcopo viciniori, vel Visitatori, Antistitis sepulturam, & inventarii confectionem, dùm illa duo moram non paterentur, & necessitas utrumque postulabat ad deprædationes evitandas. Variæ tamen circa hujusmodi obeundum munus leguntur consuetudines, dùm ad avaritiæ, & rapinæ labem compellendam oportebat convenientiora remedia aptare. De quibus Thomasinus plura. Quandoque ea inventarii descriptio à Metropolita fiebat, quod discimus ex epistola 11. lib. 3. Sancti Gregorii Magni ad Maximianum Syracusanum, cui cum Sicilia jure metropolitico spectaret, confectionem inventarii vacantium Ecclesiarum patrimonii remittit: *Si quispiam Episcoporum de hac luce migraverit, vel pro suis fuerit remotus excessibus, convenientibus Hierarchicis, cunctisque Cleri primoribus, atque in tui præsentia inventarium Ecclesiæ rerum facientibus, omnia, quæ reperta fuerint subtiliter describantur.* Ità deprædationibus obviam *Loco cit.* *De Beneficiis to. 3. lib. 2. cap. 52. & seq.*

itum; de quibus in ſequentibus verbis: *Nec ſicut anteà fieri dicebatur; ſpecies quædam, aut aliud quodlibet de rebus Eccleſiæ, quaſi pro faciendi inventarii labore tollatur. Sic namque ea, quæ ad munitionem pauperum facultatis pertinent, deſideramus expleri, ut nulla penitùs in rebus eorum ambitioſis hominibus venalitatis relinquatur occaſio.* Et cùm Sedes Archiepiſcopalis Salonitana in Dalmatia, quæ eſt in Illyrico Occidentali, juxtà priſcum morem ad conſecrationem Romani Epiſcopi ſpectaret, Sanctus Gregorius mandat Antonino Apoſtolici patrimonii in Dalmatia defenſori: *De rebus, vel ornamentis Eccleſiæ Salonitanæ fideliter inventarium facias te præſente conſcribi.* Ità epiſt.74. lib.7. cùm dirutæ Eccleſiæ, ac diſſipatæ, quæ nec Clerum haberet ſufficientem, nec plebem Panormitano Epiſcopo viſitationem demandaſſet, juſſit ut mobilia deſcriberet, & eum cenſum ad ſe tranſmitteret, ut quid optimum factu eſſet, ipſe conſultaret: *Mobilia verò prædictæ Eccleſiæ facta ſubtiliter volumus deſcribi notitia, & nobis tranſmitti, ut ex hoc, quod fieri debeat, authore Domino, diſponamus.* Eccleſia Orientalis Metropolitano eam curam ſervandi res Eccleſiæ cùm inventario demandavit, ſolùm eo caſu, quo non præſto eſſent Clerici. Ità enim in Trullano can.35. *Nulli omnium Metropolitanorum liceat mortuo Epiſcopo, qui ejus throno ſubeſt, res ipſius, vel Eccleſiæ ejus auferre, vel ſibi vindicare. Sed ſint ſub cuſtodia Cleri Eccleſiæ, cui defunctus præfuit, uſque ad alterius Epiſcopi promotionem, præterquam ſi in Eccleſia eadem non relicti ſint Clerici. Tunc enim Metropolitanus ea non diminuta ſervabit, ordinando Epiſcopo omnia reddens.*

Lib.2. epiſt.22.

Facultas tertia Viſitatoris Epiſcopi erat, facto inventario, deligere Oeconomos, ſeu Cuſtodes Eccleſiæ vacantis. Verùm cùm in eo non eadem fuerit inſtitutio, præcipuæ variationes indicandæ erunt. Synodi Aurelianenſis II. can. 6. & Valentinæ cap. 4. demandant eam Provinciam Epiſcopo

vocato

vocato à Capitulo ad persolvendum funus: *Episcopus, qui ad sepeliendum defunctum venerit, evocatis Presbyteris in unum, domum Ecclesiæ adeat, descriptumque, idoneis personis custodiendum sub integra diligentia derelinquet, ut res Ecclesiæ ullorum improbitate non pereant.* Hæc Aurelianensis. Decretum tamen Caturcensis Ecclesiæ apud Dacherium, Episcopum Visitatorem, non Tumulatorem facit hujus muneris executorem. Oeconomi designandi erant ex Clericis viduatæ Ecclesiæ. Undè cùm absente Episcopo Castorio Ariminensi Sanctus Gregorius Visitatorem designasset Leontium, & hic submotis Oeconomis Ecclesiæ, proprios Clericos Oeconomos elegisset, displicuit Gregorio factum, præcipitque Clericos Ariminenses adhibendos, & si de illorum fidelitate fuisset suspicandi occasio, Socios ex suis Clericis adderet: *Si verò quædam de eis infidelitatis est fortasse suspicio, cùm eis quoque homines tuos in actione constitue, ut alterna erga se solicitudine debeant esse custodes, rationes tibi modis omnibus posituri.* Rationem hujus dispositionis insinuarat, *ut nulla eis adversum te justa murmurandi relinquetur occasio.* Aliquando etiam ipse Metropolitanus designabat Oeconomos, de qua Synodus Valentina canone 2. *Dehinc ad Metropolitani notitiam habita ordinatio, vel descriptio deferatur, ut ejus electione talis persona ordinanda domui Ecclesiasticæ procuretur, quæ vel consueta Clericis stipendia dispenset, & creditarum sibi rerum, si forsitan in Episcopo ordinando successerit, Metropolitano congruis temporibus reddere possit rationem &c.* Et ob eandem rationem in Sedibus speciali jure subjectis Apostolicæ Sedi scripsit Sanctus Gregorius citato Antonino Subdiacono Rectori Patrimonii in Dalmatia: *Et ne de rebus ipsis possit aliquid deperire, Respectum Diaconum, atque Stephanum Primicerium Notariorum, ut ipsarum rerum omninò gerant custodiam admoneo: interminans eis, de propria eos satisfacturos esse substantia, si quidquam exindè eorum negligentia fuerit immi-*

Lib. 4. epist. 42.

Lib. 2. epist. 22.

Lib. 1. epist. 78. *imminutum*. Et ad hoc ipsum facere videtur, quod scribit Clero, & plebi Vivanensi Ecclesiæ: *Quotiens res aliqua pluribus agenda committitur, dùm quisquis dissensit ab altero, dispendiis potiùs quàm utilitatibus aditus referetur. Quod nos providentes, ne hoc vestræ contingere possit Ecclesiæ, ejus curam, utilitatesque Honorato Presbytero ad præsens committendas elegimus: quatenùs res, utilitatesque Ecclesiæ per eum & procurari valeant, & modis omnibus custodiri*. Quandoque Archidiacono. Sic Cæsario scribens Agapetus in causa Contumeliosi, qui cùm ad Sedem Apostolicam appellasset, voluit interim Visitatorem subsistere, & curam Ecclesiæ tradi Archidiacono. Tandem ab ipso Clero constituebantur, qui eam solicitudinem demandatam, exequerentur. Cùm enim vacantis Ecclesiæ bona dilapidarentur, Ilerdense Concilium Clericis fidelissimis edicit dandam à Clero custodiam: *Quia hæc sanctio à multis Clericis cognoscitur violari, ità ut occumbente Sacerdote, expectorato affectu, totaque disciplinæ severitate posthabita, immaniter quæ in domo pontificali reperiuntur, invadunt, & abradunt....... Placuit, ut defuncto Antistite, vel etiam in supremis agente nullus Clericorum quidquam auferre præsumat........ Sed is, cui domus commissa est subjunctis sibi, cùm concilio Cleri, uno, vel duobus fidelissimis, omnia utique ad tempus Pontificis constituendi debeat conservare*.

Apud Baron. to. 7. Annal. pag. 692.

Can. 16. an. 524.

Apud Baronium ibi pag. 691. Quarta facultas Antistitis Visitatoris erat, regimen, & visitationem suscipere Ecclesiæ viduatæ, ut præsto esset illorum indigentiis, & ut scribit Joannes II. Clero in causa Episcopi Contumeliosi: *Ideò in Ecclesia ejus Visitatorem dari nostra decrevit auctoritas, ut Ecclesia suo privata Præsule, summi nequeat Pontificis solatiis indigere: cui vos in omnibus parere decrevimus*. Et anteà Sanctus Ambrosius supra laudatus Constantino Foro-Cornelii Visitatori, demandat, *Ecclesiam, quæ est ad Forum-Cornelii frequenter invises*.

Epist. 16.

Quæ

Quæ certè visitatio regimen, & jurisdictionem importasse, nemo dubitabit. Erat ejusmodi actio laboriosa, cùm discurrere tenebatur Visitator per omnes vacantis Episcopatus Ecclesias. Hinc Gregorius Magnus Maximiniano scribit: *Visitatores Ecclesiarum, Clericique eorum, qui cum ipsis per non suæ Civitatis Parochias fatigantur, aliquod laboris sui capiant, te disponente, subsidium. Justum namque est, ut illic consequantur stipendium, quo pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium*. Et idem Paulino Liparitano Antistiti Tauritanensem Ecclesiam, ut Visitatori commendat: *Ecclesiam verò Tauritanensium quotiens opportunum tempus credideris, visitabis. Ità ergo fraternitas tua hæc omnia implere festinet, ut & sui præsentia Liparitanam salubriter disponat Ecclesiam, & visitationis studio Tauritanensem Ecclesiam congregare, & fovere non desinat.* Clarius eam solicitudinem regiminis eodem libro expressit, cùm scribit Joanni Episcopo Visitatori Nepesinæ Ecclesiæ, ut ea se gerat cura, ut ejusdem Episcopus alibi Visitator, in ordine Ecclesiæ, & regimine nullum sentiret detrimentum. *Fraternitas tua visitationem Ecclesiæ Nepesinæ non desistat assumere, quatenùs exigente Paschali festivitate, quidquid sacrorum solemnitas poscit, te operante, modis omnibus impleatur. Donec igitur, quid de persona prædicti fratris, & Coepiscopi nostri agendum sit, deliberare possimus, ità in cunctis te fraternitas tua solertem, vigilantemque studeat exhibere, ut prædictus vir absens nullo modo sentiatur.* Honorius Imperator in schismate Eulalii, quousque à Synodo retractaretur legitima electio, & interim instarent eadem festa Paschalia, delegit Achilem Spoletinum: *Quoniam vicinitas sanctorum dierum Episcopi præsentiam postularet, nec in Urbe sacratissima fas est Paschæarum præsertim dies sine Sacerdote celebrari: idcircò Symmache ...... Achilem nos elegisse cognoscat .... qui mysteria sacræ observationis impleret &c.* Ità apud Baronium in ejus epistola

Lib. 3. indict. 3. epist. 11. pag. 99.

Lib. 2. indict. 10. epist. 13. pag. 45.

Epist. 20. pag. 48.

Anno 419. pag. 434.

Lib. 2. indict. 11. epist. 24. pag. 70. stola Symmacho data legimus. Illud idem expressit in epistola directa Leontio Urbinati ob Castorii infirmitatem, Ecclesiæ Ariminensis visitationem his amplis terminis tradit: *Propterea eo absente Ecclesiæ ipsius fraternitati tuæ operam providimus visitationis delegandam, admonentes charitatem tuam, ut ità efficaciter omnes utilitatis ejus exerceat, quatenùs tui præsentia proprium se, absentem habere non sentiat Sacerdotem. Quidquid autem tibi visum fuerit pro utilitatibus ejusdem Ecclesiæ ordinare, habebis modis omnibus ex nostra permissione licentiam.* Et
Pag. 142. Leontio Visitatori Ariminensi sæpiùs laudato: *In lucrandis verò animabus invigila, circa Cleri rectitudinem esto sollicitus.*

Præcipuè tamen Episcopi Visitatoris facultas erat, ut tanquàm Præses ordinaret, maturaret, & disponeret ea, quæ actionem, & electionem futuri Antistitis respiciebant, ac tandem ut in ejusdem præsentia factæ electionis decretum
Epist. 19. indict. 10. pag. 48. conficeretur. Partes istas Episcopi Visitatoris descripsit Sanctus Gregorius, dùm Benenatum Visitatorem Ecclesiæ Cumanæ constituit: *Charitas tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit, & assiduis adhortationibus Clerum, plebemque ejusdem Ecclesiæ admonere te volumus, ut remoto studio diversarum partium, uno, eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant Sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis canonibus nullatenùs respuatur. Qui dùm fuerit postulatus, cum solemnitate decreti, omnium subscriptionibus roborati, & dilectionis tuæ testimonio litterarum, ad nos sacrandus occurrat.* Similia primo hujus Dissertationis Capite retu-
Cap. 30. limus. In Vita Beati Fulgentii scribit Ferrandus Diaconus, quod cum pertinaci discordia partes hærerent circà electionem Pontianus Thenitanus Episcopus Visitator: *Ibat secundùm præceptum Datiani Primatis, ut Ruspensi Ecclesiæ eligeretur Antistes.*

Ad

Ad Visitatoris solicitudinem incitandam supra observavimus à Carthaginensi V. & Rejensi Synodis uniformi decreto fuisse statutum, ut ità electionem perficiendam curarent, ut si intrà Visitationis annum non fuerit peracta, alius Visitator deputaretur. Hincmarus pariter Remensis plures epistolas circa hanc facultatem scripsit, ut videre est in illa Carolo Calvo missa de viduata Sylvanectensi. Et in alia ad Hedenulphum Cameracensis Ecclesiæ Visitatorem: *Ad Cameracensem Ecclesiam quantociùs studeas properare, & assiduis hortationibus Clerum, & plebem publicè admonere festines, ut uno, eodemque consensu sibi præficiendum expetant, ac eligant Sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & à reverendis canonibus minimè respuatur*. In ea etiam ordinem actionum pro electione facienda describit. Et ad Clerum: *De electione decretum canonicum unanimi voto agere, & sigillatim omnium vestrorum manibus in præsentia Visitatoris roborare satagite*. Et ad vacantis Belluacensis Clerum: *Decretum sine Visitatoris præsentia nemo conficiat .... Electum ad nos mediante Visitatore adducite*. Eadem scribit Sanctus Gregorius Clero Ariminensi: *Qui dùm fuerit postulatus, cum solemnitate decreti, omnium subscriptionibus roborati, & Visitatoris pagina prosequente ad nos veniat ordinandus*. Undè idem Metropolita irritavit electionem Wilberti Catalaunensis Episcopi sine assistentia Visitatoris acta. Plura hábes in laudatis superiori Capite Formulis.

Epist. 1.

Epist. 2.

Epist. 3. & 4.

Epist. 51. *lib.* 7. *indict.* 7. *pag.* 253.

Epist. 5.

Quo ad usque in Occidentali plaga perseveravit hujusmodi Episcopi Visitatoris munus, laudatæ facultates absque ulla controversia exercebantur, tanquàm muneris propriæ, eum & Romanorum Pontificum constituta, & Conciliorum canones easdem firmas, & stabiles esse voluerint. Quando verò desierit consuetudo, per tot retro sæcula observata, & nova fuerit disciplina introducta, non ità assignari certò potest, conjecturis res erit examinanda.

Gregorius VII. ut supra vidimus, cùm istiusmodi morem sensim conspexisset à priori disciplina deflexisse, constitutum ediderat pro restauranda antiqua consuetudine; eo scilicet intuitu, ut avitam libertatem in sacris electionibus servaret, liberaretque à laicalibus usurpationibus undique innundantibus. Quod quidem eventurum sperabat, si Episcopi Visitatores viduatis Ecclesiis donarentur à suo Metropolita: quia cùm eorum erat speciale munus prospicere electioni, ut juxtà canonicam formam celebraretur; ea via faciliùs potuissent Principum usurpationes impedire, cùm & Episcopus Visitator, & viduatæ Ecclesiæ Clerus collatis viribus curavissent sua jura tueri; & simùl Metropolitæ, ad suam auctoritatem in designandis Visitatoribus propugnandam, curam contulissent. Verùm nescimus, quo fato Gregorii constitutum inobservatum conspiciamus: immò in sequentium Pontificum epistolis decretalibus vestigia hujus disciplinæ vel sequendæ, vel instaurandæ non legimus: ut videre licet in decretali Urbani II. anni 1090. Paschalis itidem II. anni 1118. Necnon in variis canonicis decretis circa electionis formam, promulgatis ab Alexandro III. in Concilio Lateranensi anno 1173. & ab Innocentio III. sive in suis decretalibus epistolis, sive etiam in Lateranensi anno 1215. Sensim itàque desiit hæc de Visitatoris Episcopi designatione disciplina; sive cùm jàm ipsa Cathedralis Ecclesiæ Capitula sibi illud munus assumerent viduatas Ecclesias regendi: quod quidem Damiani tempore invalere cœperat, uti constat ex dissidio vacantis Sedis Faventinæ, dùm ad idem componendum ultrò sese obtulerit illi Capitulo uti Visitator S. Episcopus: sive, quod magis crediderim, istiusmodi mos tunc tandem desiit, quando nominationibus regiis locus datus est: etenim cùm præcipuum hujus Visitatoris munus esset prospicere, ut canonica electio ritè perageretur, ei locus non erat: cùm electio non ampliùs per Clerum viduatæ Ecclesiæ, sed à Nominante Episcopus daretur Ecclesiis.

Repe-

Reperimus tamen post hujusmodi in electionibus morem introductum, vestigium Visitatoris, de quo mentionem facit Bonifacius VIII. in cap. 3. & 4. de supplenda negligentia Prælatorum in sexto: in illis verò capitibus determinat Visitatorem à Romano Pontifice Ecclesiæ viduatæ delegari posse, quique haberet facultatem conferendi omnia beneficia ad Episcopi collationem pertinentia, & à Metropolitis, seu Archiepiscopis eam facultatem tunc solùm exercendam, in casu quo Capitulum negligenter se gereret; & eo in eventu post caussæ cognitionem, & in pœnam decernit, Archiepiscopum posse Visitatorem, seu Administratorem eligere, cui omnem facultatem adimit conferendi beneficia. Unica hæc est decretalis post Gregorium VII. quæ mentionem faciat Visitatoris dandi viduatæ Ecclesiæ: licet non videatur nomen Visitatoris eo sensu sumi, prout supra noster Visitator Episcopus descriptus est, potiùsque ea, quæ in Decretali sequenti continentur, ad Administratorem non Visitatorem pertinere censeamus. Verba verò Decretalis sunt: *Ecclesiæ Cathedrali vacanti Visitator ab alio, quam à Romano Pontifice deputari non potest; nisi fortè Capitulum in spiritualibus, & temporalibus negligenter, aut perperam administret; tunc enim Archiepiscopus ob negligentiam, vel malitiam Capituli (eo vocato, caussæque super hoc cognitione præmissa) Visitatorem, seu Administratorem eidem Ecclesiæ licitè poterit deputare. Hujusmodi autem Visitator beneficia, quæ ad collationem pertinent Episcopi, conferre non potest, si ab alio, quam à Romano Pontifice fuerit deputatus.*

Ad pleniorem dictorum intelligentiam, & ad explicandas laudatas facultates, cùm aliqua ex supracitatis conciliariis decretis, ac ecclesiasticis monumentis occurrant, quæ dubietates aliquas ingenerent; indè, ut antiquissima hæc disciplina numeris omnibus illustrata maneat, dubia in unū collegimus, & suam explicationem, ac dissolutionem apponere voluimus.

Quæstio I. Primam difficultatem itàque movent constituta Africana circà illud, quod tot testimoniis firmatum est, Occidentalis Ecclesiæ fuisse usum, Episcopum charactere Episcopali insignitum Visitatorem deligere. Consuetudinem si inspiciamus reliquarū Occidentis regionum, utique constabit, Episcopum esse electum, non item in Africa, indèque inferri potest, non fuisse necessitatis, ut esset semper Episcopus Visitator. Africanam igitur Ecclesiam Presbyteris eam facultatem dedisse docent interlocutiones Episcoporum partis Catholicæ, & Donatistarum in celebri illa collatione Carthaginensi. Prima disputatio instituta est circà potiorem Episcoporum numerum utriusque partis, & dùm ambæ partes recenserent eorum numerum, assignantes nomina præsentium, & absentium subscriptiones, Cresconius Silemsilensis Donatista Episcopus, dixit: *Traditores non habeo in plebe mea*. Illicò reposuit: *Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ Macomadiensis... Presbyterum habemus, qui intervenit*. Ad quæ replicavit: *Adeodatus Episcopus.... intervenit, dixisti. Si ubique vestros spargere velitis, jàm videmini habere nobiscum partem in his locis, ubi Christiani sunt*. Non negat Donatisticæ factionis homo *interventores esse Presbyteros*, sed edicit, non posse ex illis colligi in communione Ecclesiæ esse plures, quam in Donatistica; alioquin cùm essent in Sedibus, ubi erant Donatistæ, partem, & communionem cum illis videbantur habere. In vacantibus Ecclesiis Africanis fuisse Sacerdotes, docet canon Carthaginensis V. supra sæpè laudatus, prohibens Interventorem eligi in Episcopum vacantis; ubi satis innuit fuisse simplices Presbyteros, dùm non loquatur de postulatione, seu de transitu ab una ad aliam Ecclesiam, sed de electione: translationes etenim hujusmodi in Africanis provinciis non legimus eo ævo admissas. Et si fuerit usus in Africa, tamen singularis judicandus, nec servatus in reliquis Occidentalibus provinciis. Scio, quandoque à Chorepiscopis in Gallia id usurpatum,

Libro 1. cap. 101. apud Labb. tom. 2. Concil. pag. 1408.

Cap. 102. ibi.

tum, ut Visitatores essent Ecclesiarum vacantium, sed abusum, & intrusionis vitio notatum fuisse, docet in Remensis Ecclesiæ historia Flodoardus, ubi refert Hincmarum Chorepiscoporum varios excessus Leoni IV. exposuisse, præsertim: *Quod terrena potestas hac materia sæpè offenderit, ut videlicet Episcopo quolibet defuncto, per Chorepiscopum solis Pontificibus debitum ministerium perageretur, & res, ac facultates Ecclesiæ sæcularium usibus expenderentur, sicut & in nostra Ecclesia secundo jàm actum fuisset.* Penitùs indè cogitavit evellendos. Synodus Meldensis ità habet: *Ut Chorrepiscopus modum suum, juxtà canonicam institutionem teneat .... Si verò Civitatis Episcopus objerit, nihil ex Episcopali ministerio specialiter Episcopis debito attentet: quia ex hoc magnum scandalum, & divisionem rerum ecclesiasticarum, atque dilationem in canonicè ordinandis Episcopis Dei Ecclesiis accidisse conspeximus. Nàm si Episcopus Civitatis propter dissidiam, aut sæcularem pervagationem, vel propter infirmitatem, modum suum Chorepiscopis transcendere consenserit, sententiam canonicam debet attendere, qua decretum est, ut qui contra dicta canonum fecerit, gradus sui periculo sine retractatione subjaceat.*

Lib. 3. cap. 10.

Anni 845. cap. 44. apud Labbe tomo 7. pag. 1835.

Quod verò supra adductum est de Ecclesia Vivaniensi, cujus administratio à Sancto Gregorio data fuit Honorato Presbytero, dicimus id datum non titulo Visitatoris, sed Oeconomi, & Custodis bonorum Ecclesiæ.

Lib. 1. epist. 78. pag. 38.

Quæstio II.

Secundam difficultatem faciunt verba, quibus Episcopis Visitatoribus dabatur munus per Metropolitam, ut Ecclesiæ viduatæ utilitatibus inservirent, solatio essent Clero, & similia, quibus videtur concessam facultatem Sacramenta ministrandi, & reliquos proprios Episcopales actus exercendi.

Respondent difficultati propositæ tùm Epistolæ sæpiùs laudatæ Sancti Gregorii Magni, tùm antiquæ Formulæ, &

Con-

Conciliorum canones, quod licèt Visitatores Episcopi in functionibus Episcopalibus Vicariam obirent quandam auctoritatem in deputatis Ecclesiis: & præcipuè ea, quæ quotidiano usu exigebant regiminis, & Pontificalis auctoritatis exercitium, inter quæ Missarum celebratio cum annexis in festivitatibus majoribus, & alia similia: nihilominùs aliqua singulari mandato prohibita eisdem fuisse, eadem ecclesiastica monumenta docent. Ordinatio Clericorum inter hæc Visitatoribus fuit prohibita. Ità in Aurelianensi V. can. 8. *Ut in Civitate, ubi Pontifex jure humanæ conditionis objerit, nullus Episcopus antè substitutionem reparati per Ordinem successoris, aut in Civitate, aut per Parochias, ordinare Clericos, aut Altaria audeat consecrare, vel quidquam de rebus Ecclesiæ, præter humanitatem, præsumat auferre.* In Arvernēsi II.can.8. *Episcopus in Civitate viduata nullus consecrationem facere audeat, nec in paræciis, nec de rebus Ecclesiæ quidquam præter humanitatem auferat. Quod si fecerit, sive spontè, sive coactus precibus, vel timore, substituto Episcopo satisfaciat, & anno integro Missas non faciat.* Gelasii etiam referuntur constituta: primum datum Cœlestino Hostoniensi: *In Ecclesia Beati Martyris Eleutherii, quæ in Hostoniensium Civitatis Parochia probatur esse constructa, Julianum Diaconum, si nil in eo est, quod contra canonum veniat instituta, Presbyteri bonore decorabis: sciturus eam Visitatoris te nomine, non Cardinalis creasse Pontificis, &c.* Et Sabino Grumentino Episcopo: *Quartum defensorem Diaconum sibimet consecrari populus Grumentinæ Civitatis exposcit. Hunc ergò, si nil est, quod ejus personæ possit opponi, Diaconii provectione decorabis: ut noverit tamen dilectio tua, hoc se delegantibus nobis exequi Visitatoris officio, non potestate proprii Sacerdotis.* Sic ergo speciali delegatione opus erat ad ordinandum Visitatori Episcopo. Quæ omnia ità complexus est Joannes II. universis Episcopis per Gallias constitutis: *Ne ejus Ec-*

Anni 549. apud Labbe to.5.pag.391.

Idem pag.403.

In collect. Cardin. Deusdedit apud Lab. tom.4. pag.1224.

Apud Baron. to.7. pag.690.

Ecclesia destituta videatur, in ejus locum Visitatorem dari, præsenti auctoritate decernimus, qui à se ità noverit, omnia exhibenda, ut nihil de Ordinibus Clericorum, nihil de Ecclesiastica facultate præsumat; sed ea, quæ ad sacrosancta mysteria pertinent exequatur, &c. Et ad Clerum: *Sed Clerus in eo, quo nunc est Ordine constitutus nullis gradibus promoveatur, donec proprium Sacerdotem possit habere.*

Necessitate autem urgente speciali Metropolitæ concessione datum Visitatoribus, ut consecrarent Clericos, idque singulari facultate docet epistola Sancti Gregorii Chrysanto Episcopo Salonitano, ubi dùm in eo dispensat, simùl addit, non reperiri in scriniis Sedis Apostolicæ, ubi & Visitatorum designandorum formulæ continebantur, quod Visitatores promoverent in Ecclesia viduata ad Ordines: *Antè hoc biennium fraternitati tuæ Vivaniensis Ecclesiæ visitationis deputaveramus officium, in quo de more scrinii nostri nihil vos de provectionibus facere voluimus Clericorum. Nunc verò venientes huc præsentium portitores prædictæ Ecclesiæ Clerici dixerunt, Sacerdotes se neque in eadem Ecclesia, neque in ejus Parochiis habere. Hortamur igitur fraternitatem tuam, ut si quidem talem potuerit reperire personam, quæ digna ad Episcopalis officii apicem valeat promoveri, hac eam cum solemnitate decreti, vestrarumque testimonio litterarum celeriùs dirigatis. Sin verò hoc nunc inveniri non potest, cum omni studio, ac vivacitate personas exquirite, quæ illic in Presbyterii ordine valeant consecrari. Quarum vitam, actusque subtili priùs inquisitione discutite, ut in nullo eis, vel sacri canones, vel Ecclesiasticæ regulæ valeant obviare: ut hac provisione populus illic degens communionem, qua se privatos ob Sacerdotum necessitatem flebiliter conqueruntur, recepisse se gaudeant, & in Ecclesiis illis sacra Missarum solemnia deesse non debeant.* Eadem urgente necessitate cùm diù vacaret Neapolitana Sedes, & Clerici postularent ordinationem aliquorum, concessit illud

Lib. 7. indict. 2. epist. 76. pag. 267.

scri-

Lib. 2. epist. 7. indict. 10. pag. 43.

scribens Paulo: *Quousque verò de jis, quæ à nobis prædicti filii nostri fienda depostulant, revelante Domino, deliberare possimus, Clericos ex laicis ordinari, necnon & manu missiones apud te in eadem Ecclesia solemniter celebrari concedimus*. Pariter Leoni Episcopo in Corsica munus visitationis exercenti ob eandem necessitatem illud concedit: *Quoniam Ecclesiam Alerienſem antè annos plurimos, obeunte ejus Pontifice, omninò destitutam agnovimus, fraternitati tuæ visitationis operam duximus injungendam.... In qua etiam Ecclesia, vel ejus Parochiis, Diaconos, atque Presbyteros tibi concedimus ordinandi licentiam*. Vide epist. 42. lib. 4. pag. 142. *Si quis igitur in suprascriptæ Ecclesiæ Clero dignus fuerit, Presbyter, vel Diaconus sive in gradu alio ordinari, liberè habebis ex nostra auctoritate eum promovendi licentiam*. Ità scribit Leontio Visitatori Ariminensi.

Lib. 1. indict. 9. epist. 76. pag. 38.

Pro administratione Sacramenti Confirmationis jure visitationis habuisse facultatem declarant verba sequentia Sancti Gregorii in epistola ad Chrysantum: *Sed & pro consignandis infantibus, fraternitas tua illuc curet accedere; ut nihil sit, quod pastoralis solicitudinis neglecta vos cura remordeat*. Et libro 8. indict. 3. epist. 47. scribens Eulogio Episcopo Clusino inter alia sic habet: *Prætereà Ecclesiis, ad quas sine labore potestis accedere, fraternitas vestra officium visitationis impendat, ut ji, qui illic Deo propitio baptizantur, inconsignati non debeant remanere*.

Ibi pag. 267.

Pag. 319.

De Altarium consecratione, Visitatoribus vetitum fuisse illam agere, docent Aurelianense canone 8. *Nullus Episcopus Visitator audeat in Civitate, aut per Parochias ..... Altaria consecrare*. Et Joannes VIII. in epistola ad Joannem Ficodensem Episcopum non aliter constituit Visitatorem, nisi sub cura, & solicitudine inventarii perficiendi, deputandi custodes, & perficiendæ electionis sub sua assistentia, adeòque reliqua nonnisi speciali prærogativa Superioris agere poterant.

Epist. 308. apud Labbe to. 9. p. 219.

Cleri-

Clericorum ordinationes dicebamus quandoque ab Episcopis Visitatoribus in viduatis Ecclesiis actas fuisse, hinc tertia difficultas oritur, qua auctoritate id agerent, & in commendata Ecclesia ad sacros Ordines promoverent? Ad quod dicimus juxtà stabilita principia ex sacris ecclesiasticis decretis deprompta, quod in decem illis Provinciis, ubi Romanus Pontifex jure Metropolitico præsidebat, ab eodem obtinebant facultatem promovendi ad Ordines: similiter in aliis regionibus à propriis Metropolitis. Hinc Joannes II. in supranotata causa depositionis Contumeliosi Episcopi Rejensis, postquam mandavit Cæsario Archiepiscopo Arelatensi in eadem Ecclesia per ipsum eligi Visitatorem, declarat deindè eam facultatem, ac extensionem contrahi posse, ac prorogari ab eodem Cæsario: *Omnem solicitudinem super Rejensi Ecclesia Cæsario fratri, & Coepiscopo nostro injungimus, ad cujus curam cuncta, quæ necessaria sunt, pertinere censuimus*. Adeò verò erat proprium Metropolitæ vacantes Ecclesias disponere, ut Nicolaus I. de eo argumento plura scripserit ab epistola 39. & seq. quæ lectæ sunt in Synodo septima anno 865. Romana. Pari modo Rex Carolus de viduata Ecclesia Grationopolitana rescripsit Adoni Archiepiscopo Viennensi: *Quidquid neglectum fuerit, vobis imputabitur, qui disponere, ac ordinare ipsum vacantem Episcopatum, ac omnia ipsius Ecclesiæ debuistis*. Verba illa *disponere*, ac *ordinare* satis indicant, illam esse specialem prærogativam, ac privilegium Metropoliticæ Sedis. Undè Sanctus Ambrosius diebus Quadragesimæ detentus in cura suæ Ecclesiæ Mediolanensis, facultatem concessit Constantio Episcopo Visitatori, ut vices suas expleret in viduata Ecclesia Foro-Corneliensi, & necessaria disponeret.

Quæstio III.

Apud Baron. ibi.

Epist. 39. apud Labbe to. 5. pag. 791.

Epist. 13.

Epist. 19.

Extabat regula à Concilio Chalcedonensi canone 25. præscripta, qua cavebatur, viduatam Sedem non posse sine Episcopo permanere, & vocare, nisi ad tres menses. Laudata itàque Ecclesiastica monumenta de isto præsenti tempore loqui

qui videntur, quæ eam facultatem Visitatoribus dabant. Undè dùm Tridentina Synodus intrà primum vacationis annum mandavit litteras dimissoriales non posse concedi à Vicario Capitolari, novam non induxit regulam, sed antiquam innovavit.

Sess. 23. cap. 10. de reform. & sess. 7. cap. 10.

Verùm deindè cùm Metropolitæ hæc privilegia iminui cœpissent, vel desuetudine, vel novis canonicis institutis, incœperunt quoque Episcopi Visitatores ad solas Clericorum preces post præscriptum tempus vacationis ad Ordines promovere. Primi, qui eam sibi vindicarunt provinciam fuere Chorepiscopi, qui, ut supra notavimus in Gallia, in aliquibus regionibus viduatis Ecclesiis præsidentes, sibi usurpavere Clericorum Ordinationes sine Metropolitæ venia: & indè tot Conciliorum, ac Metropolitanorum quærimoniæ, & constituta Synodalia ad ipsos compescendos. Ità modò post lapsum vacationis annum Capitula Cathedralium litteras dimissoriales ad Ordines liberè concedere possunt.

Juris etiam Metropolitici erat taxare modũ patrimonii viduatæ Ecclesiæ, & propterea, ut supra adnotabamus, post factum inventarium, descriptisque cunctis, quæ erant in domo mortui Episcopi, quæque ità describenda ulteriùs edicunt canones. Nàm Troslejanum can. 14. ex can. 2. Concilii Valentini: *Hoc etiam placuit, ut Episcopo ab hoc sæculo jubente Domino accersito, Clerici ab omni omninò supellectili, vel quæcumque sunt in domo Ecclesiæ, vel Episcopi, in libris, in speciebus, utensilibus, vasculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omninò re, rapaces manus abstineant, & nihil latronum more diripiant. Qui nisi canonum auctoritate cobibiti fuerint, omnia, quæ pervaserint, Metropolitani, vel omnium Comprovincialium Sacerdotum districtione coacti, in pristinum statum redintegrari cogantur, ut nihil Antistiti, vel dispensatori futuro necessariorum sub hac justa constitutione depereat.* Plura in eo canone similia leguntur. Cuncta utique illa Metropolitæ mittebantur, ut

Anni 909.

juxtà

juxtà necessitatem ipse disponeret. Indè cùm Maximianus esset Metropoliticus S. Gregorii Magni per Siciliam Vicarius, eidem mandavit: *Visitatores Ecclesiarum, Clericique eorum, qui cum ipsis per non tuæ Civitatis Parochias defatigantur, aliquod laboris sui capiant, te disponente, subsidium*. Scribit, *te disponente*, ut innueret eam curam esse illius ob dignitatem, quam obtinebat: addit deindè caussam, cur alieni possent de bonis viduatæ Ecclesiæ proventus suscipere: *Justum namque est, ut illic consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium*.

Lib. 3. epist. 11. indict. 12. pag. 99.

Quæstio IV.

Difficultas hinc quarta eruitur examinanda, an videlicet Visitator Episcopus à commendata Ecclesia perciperet aliquod sui laboris stipendium? Ratio dubitandi erui videtur ex laudata epistola Sancti Gregorii, qui antè adducta verba dixerat: *Nec sicut anteà fieri dicebatur, species quædam, aut aliud quodlibet de rebus Ecclesiæ, quasi pro faciendi inventarii labore tollatur. Sic namque ea, quæ ad munitionem pauperum facultatis pertinent, desideramus expleri, ut nulla penitùs in rebus eorum ambitiosis hominibus venalitatis relinquatur occasio*. Verba illa, *sicut anteà*, videntur per novum decretum priorem consuetudinem fuisse sublatam. Sed perperam id deducitur, verbis enim immediatè supra laudatis, sequuntur hìc adducta, quæ tollunt omnem difficultatem; & ibi Sanctus Pontifex absolutè loquitur de inventarii conscriptoribus, non verò de Visitatore.

Pag. 99.

Hujusce interpretationis germanam intelligentiam alia ejusdem Pontificis decreta demonstrant. Præcipuè legenda est epistola ad Leonem in Corsica Visitatorem, & ad Clerum viduatæ Ecclesiæ Aleriensis, ubi Visitatori tribuit facultatem circa cuncta illius Ecclesiæ, *ut proprium Pontificem*. Et illa Petro Apostolici Patrimonii in Campania Rectori data pro Paulo Neapolitanæ Ecclesiæ Visitatore: *Prædicto autem Paulo fratri, & Coepiscopo nostro centum solidos, &*

Epist. 76. & 77. lib. 1. indict. 9. p. 38.

Epist. 35. indict. 11. lib. 3. pag. 74.

unum puerulum orphanum, quem ipse elegerit, pro labore suo de eadem Ecclesia facias dari.

Extat & aliud exemplum in sæpiùs laudata epistola directa Leontio, cui commiserat Ariminensem Ecclesiam, in ea ità proponit, & decernit redditus expendendos: *Quidquid de redditibus Ecclesiæ ipsius accesserit, quatuor juxtà consuetudinem oportet fieri portiones: unam scilicet, quæ Clero prœbenda sit, aliam quæ pauperibus. De reliquis autem duabus partibus tres fieri volumus: unam sacris tectis profuturam: aliam pro sustentatione sua Castorio proprio Episcopo dirigendam: reliquam sibimet retinendam.* Nil ulteriùs exquirendum docent sequentia verba: *Comperimus prœtereà aliquid te annonæ de publico consequi, & hac ex re verecundia comprimi, atque in caussis Ecclesiæ, vel defensione pauperum, ut congruit, non esse efficacem. Propterea abstinendum est ab hoc, quod verecundiam incusit, & stipendiis, quæ de Ecclesia consequeris, debes esse contentus.*

Pag. 142.

Lib. 2. indict. 11. epist. 22. pag. 69.

Vide sæpiùs laudatam epistolam scriptam Antonio Rectori in Dalmatia, ubi Visitatori: *Expensa, quæ necessaria fuerit, per Oeconomum..... erogetur.* Ad quod facit & illud Aurelianensis Synodi II. can. 5. *Episcopus, qui defunctum advenerit sepelire, prœter expensam necessariam, nihil pro fatigatione deposcat.* Et V. ejusdem loci Synodus can. 8. *Visitator nihil de rebus Ecclesiæ, prœter humanitatem* (idest congruam sustentationem) *prœsumat auferre.*

Quæstio V.

Quinta difficultas est, à quonam Sedi viduatæ designabatur Visitator Episcopus. Verùm adducta ecclesiastica monumenta firmam sufficienter faciunt eam esse prærogativam Metropolitæ. Allata enim exempla deputationis factæ à Magno Gregorio capite I. id luculenter ostendunt: ità & quæ adducta sunt ex sequentibus Romanis Pontificibus, qui eam solicitudinem declararunt in suis Decretalibus Epistolis esse Metropolitæ, ut videre est in Epistolis supracitatis Joan-

Joannis II. & Agapeti: & collapsam disciplinam renovavit Gregorius VII. Concilia Occidentalia eamdem ut testatissimam rem supponunt;& ità in Hispania Synodus Valentina: in Gallia duplex Aurelianensis, & Vermiensis; in Africa Carthaginensis, & in vita Fulgentii Ruspensis notaverat Fulgentius Diaconus; in Italica regione epistola 19. Sancti Ambrosii.

Hujusce privilegii Metropolitici vim produnt sufficientissimè antiquæ Episcopalium promotionum formulæ ex Sirmondo jàm cap. 3. recensitæ. Undè viduata Sede Sylvanectensi ad Regem Carolum Calvum ità scripsit Hincmarus Remensium Metropolita: *Dignetur mihi significare Dominatio vestra, quem vultis de Coepiscopis nostris, ut ei litteras canonicas dirigam, & Visitatoris officio fungatur.* Ut innueretur à Metropolita dandam epistolam canonicam pro Visitatore constituendo, ad quod quandoque Regis consensus adhibebatur, ut cum pace, & quiete cuncta ad electionem spectantia, perficerentur. *Epist. 2.*

Duo itàque ex jactis fundamentis colligimus,in antiqua disciplina circa Visitatoris officii deputationem fuisse observata summa cum religione: Primò in Episcopalibus Sedibus cujuslibet provinciæ Visitatorem dari à proprio Metropolita: secundo, Metropoliticæ Sedi vacanti omnes comprovinciales Episcopos eligere consuevisse Antistitem Visitatorem. Non agimus de Visitatoribus natis, qui nova deputatione non indigebant, cùm Sedis esset privilegium, qualis erat in Cantuariensi Episcopus Roffensis; & in Lugdunensi Episcopus Eduensis; quique in eorumdem Ecclesiis vicem habebant, in Roffensi Cantuariensis, & Eduensis Lugdunensis.

Difficilis tamen locus occurrit, quo videtur posse ostendi, non tantum à Metropolita, sed quandoque ab ipso decedente, aut dimittente Episcopo; vel ab ipso viduatæ Ecclesiæ Capitulo fuisse Visitatores deputatos. Est ille desumptus ex Facundo Hermianensi lib. 7. cap. 7. qui partes trium

trium Capitulorum defendendas assumens, ut probaret Theodorum Mopsuestenum, in pace Catholicæ Ecclesiæ obijsse, ex eo illud colligit, quod Sanctus Gregorius Nazianzenus gravescente ætate Theodorum elegerit Visitatorem: *Cùm ætate confectus Beatus Gregorius longa quoque ægritudine laboraret, & ab hoc se causaretur onus Ecclesiæ suæ ferrè non posse, neque Apollinarianos gregem Dei vastantibus pro eadem gemina debilitate resistere, Episcopatus curam depositurus, & relicta sua Civitate cum Monachis in rure victurus, ubi etiam defunctus est, Theodorum de toto Oriente in defensionem, & visitationem Ecclesiæ suæ delegit, non aliud caput illam Provinciam habere testificans, cujus flagitaret auxilium*. Extat apud eundem Nazianzenum de eo Epistola.

Sed errorem diu notavit in suo ob controversiam trium Capitulorum edicto Justinianus Imperator, & simùl V. generalis Synodus: hallucinatus fuit nominis similitudine Facundus. Ex enim extantibus memoriis probavere illi, Theodorum, de quo Nazianzenus scribebat, non fuisse Mopsuestensem Metropolitam in secunda Cilicia; sed Thyanensem Episcopum, ac Metropolitam secundæ Cappadociæ, &ptereà *suæ Provinciæ* caput nuncupavit. Beatus itaque Gregorius, juxtà receptam in Oriente consuetudinem, Theodorum Thyanensem rogavit, veluti Metropolitam, ut Sedis vacantis in sua Provincia regimen susciperet, nec ipse Visitatorem constituit, seu delegit, seu rogavit eundem, ut ob grassantes hæreses citò vel per seipsum, vel per Visitatorem remedium daret. Falsò etiam notaverat ipsum Sanctum Gregorium fuisse Nazianzi Episcopum, cùm Sazimorum electus fuisset à Magno Basilio; etsi ob turbas ibi concitatas Nazianzum redierit, & Patris Episcopi Senis Vicariam gesserit curam. Quæ omnia in ejus Vita initio Operum ejusdem Gregorii num.23. clarè referuntur. Neque mirùm Facundum in eo lapsum, nàm, uti testatur ipse, memoria pro-

protulit, quæ in duodecim illis libris narravit, nec ecclesiastica monumenta consulebat, dùm rem illam agebat: quod notarunt viri eruditi.

Minoris erit difficultatis factum Petri Damiani, quod ipse refert in epistola viduatæ Faventinæ Ecclesiæ missa, in qua Clerum hortatur ad electionem, & subdit: *Ego interim, si præcipitis, in vestrum servitium veniam, & vel in consignandis pueris, vel in aliis Episcopalibus officiis, pro charitate Dei, & vestra forsitan alquantulum laborabo.* Indè inferri posse, Clerum eam facultatem deligendi Visitatorem habuisse. Nàm si collapsam disciplinam in Italia præcipuè illo ævo inspiciamus, non erit valdè difficile credere, eam facultatem Capitula sibi arrogasse, deligendi Visitatorem. Et quidem eo respicere can. 5. Synodi Romanæ sub Gregorio VII. anni 1530. supra fuit observatum. *Lib. 5. epist. 10.*

Difficultas oritur nunc sexta, an sola Episcopi mors fuerit occasio deputandi Episcopum Visitatorem, an verò aliis de caussis deligerentur Visitatores. Præcipuè cùm in Epistolis Sancti Gregorii recensendis retulerimus exempla Visitationis etiam per non obitum. Quæstio VI.

Sed ex dictis facile erit asserere, obitum non fuisse unicam caussam deputandi Visitatores Episcopos; sed juxtà vacantium Ecclesiarum necessitatem datos Visitatores. Et quidem primò, si Episcopus in suspensionis pœnam incidisset, Episcopus Visitator illi Sedi dabatur. Id supra vidimus factum in caussa Cæciliani, cùm Donatistæ, veluti non canonicè electum per suæ factionis concilium suspensum declarantes, Visitatorem, vel, ut illi ajebant, Interventorem, elegerunt ex Sancto Augustino. Pariter cùm schisma esset conflatum anno 419. in Romana Sede, dùm adversùs Bonifacium legitimum Petri successorem intrusus est Eulalius, & turbis concitatis Sedes Apostolica deprimeretur, & Symmachus Eulalio addictus, Honorium Imperatorem suis relationibus excitasset adversùs Bonifacium, rescripsit Imperator utrum-

utrumque desistere à Pontificatu, quousque ab ecclesiasticis viris caussa terminaretur, & interim cùm instarent Paschalia festa, ne populus in ea solemnitate mysteriis Pontificalibus priveretur, rescripsit Spoletino Episcopo Achileo, ut Visitatorio munere Urbem frequentaret. Ità legitur in ejusdem epistolis datis Achilleo, Symmacho, Senatui, & Populo,
An. 419. pag. 434. quæ extant apud Baronium. Sic etiam de Symmacho Pontifice, qui sedebat quinto declinante sæculo, refert liber Pontificalis in ejusdem Vita, quod cùm fuissent adversùs ipsum plures intentatæ calumniæ, quæ Theodorico Regi fuere relatæ, ipse à Clero, & populo interpellatus, ut Visitatorem daret: *Festus, & Probinus Senatores miserunt relationem Regi, & cœperunt agere, ut Visitatorem Rex daret Sedi Apostolicæ. Tunc Rex dedit Petrum Altinæ Civitatis Episcopum*. Excitarat has turbas Cœlius Laurentius, qui conflarat schisma. Quæ omnia in actis I. Synodi Romanæ anni 499. fusè refert in collect. Conc. Labbeus.

Secundus casus deputandi Visitatorem fuit, cùm per Synodalem sententiam Episcopus ab Ordine degradatus Romanam Sedem appellabat. Etsi Sardicenses canones sententiam suspensam manere edicant tempore appellationis, tamen degradatio suo non carebat effectu, adeòque & Episcopus remanebat ab Episcopali exercitio suspensus, dabaturque Episcopus Visitator. Elucet hæc disciplina in sæpiùs laudatis epistolis Joannis II. & Agapeti in causa Contumeliosi, cujus damnationis sententia suspensa per interpositam appellationem, adhùc locum dedit Visitatori, uti Agapetus scribit: *Suspensus igitur (sicut præfati sumus) Episcopus Contumeliosus habeat tantùm, quàm præsumpsisse dicitur, celebrationem Missarum ...... Visitatoriam in ejus loco præcipimus ordinari personam, & patienter expectare Judices, quos, inspirante nobis Domino, constituerimus, audire*. Ità legimus apud Baronium. Pag. 692.

Tertius

Tertius casus deputandi ulterius Visitatorem fuit Episcopi proprii ægritudo, qua impediebatur exercitia Episcopalia exequi. Vidimus illud actum à Sancto Gregorio ob Castorii infirmitatem, dùm Leontium Urbinatensem Episcopum Visitatorem Arimini constituit. Extat etiam constitutum Concilii Meldensis cap. 2. relatum; ac Concilii Vermeriensi, II. quæ idipsum Synodali decreto decernunt. In Orientali Ecclesia id fuisse servatum docet Vita Sancti Gregorii Nazianzeni extante antè ejus opera. Cùm enim senectute ingravescente Pater Episcopus Nazianzenus Episcopalibus curis prospicere non posset, Filio Sasimorum Episcopo curam demandavit, quam ità suscepit: *Nazianzeni curam suscipio. Hoc tamen velim sacrosancta tua & pia prudentia cognoscat, nulla ratione fieri posse, ut te ex hac vita egresso Ecclesiam retineam .... His auditis, assiduus ipsi adhærebat, præclarissimè curans, tùm ipsius caniciem, jam ad centesimum annum accedentis ...... solus relictus senectutis solatium, infirmitatis medicina.* Num. 23.

Quartus casus est Barbarorum invasio, quæ impedimentum dederat electioni; vel potiùs, quando adeò fuisset diruta Ecclesia, sic, ut Cleri, & populi orbata sufficienti numero, ut canonica non posset electio fieri; tunc, ut supra vidimus, Visitator dabatur, quousque id dignè fieret.

Alterum addere possumus casum hujusce faciendæ deputationis ob interfectionem Episcopi, ut adnotavimus Cap. I. quando gens Squillacina duos suos Præsules successivè necavit, ex can. *Ità nos* 26. quæst. 1. Quando itàque urgentes hujusmodi erant caussæ, Ecclesiastica Metropolitæ erat solicitudo, eam Provinciam Episcopo Visitatori demandare.

Quæstio VII. Verùm gravis oritur quæstio, contrà ea, quæ stabilita sunt de istiusmodi Visitatoribus, & desumitur ex facto in caussa Symmachi Romani Pontificis. Dicebamus enim ex Anastasio in libro Pontificali, quod datus fuerit Altinæ, quæ est Sedes Episcopalis sub Patriarchatu Aquilejensi, Visitator

Episcopus Sedi Apostolicæ. Quod factum, dùm refert Bibliothecarius, addit: *Quod Canones probibent*. Addit paulò post: *Symmachus, facta Synodo, purgatur à crimine. Et damnatur Petrus Altinas, invasor Sedis Apostolicæ; & Laurentius Nucerinus, quia vivo Episcopo Symmacho invaserunt Sedem ejus*. Et quod magis difficultatem auget illud est, quod in Synodo ea de re indicta, inter præcipua, quæ ventilanda, decernendave proposuit Pontifex ex eodem libro fuere: *Ut Visitator, qui contrà Religionem, contrà statuta Veterum, vel contrà regulas Majorum, à parte Cleri, vel aliquibus Laicis fuerat postulatus, ex ordinatione Antistitum, sicut decebat sanctum Propositum, prima fronte auferretur*.

Quænam sint *Veterum statuta* Visitatorem dari inhibentia Ecclesiæ Romanæ, quæ laudat Bibliothecarius? Severinus Binius in suis ad Concilia Annotationibus putavit, laudata verba non de Visitatore dando, sed de interposita laicali auctoritate intelligenda, illudque damnari. Alii volunt Ecclesiæ Romanæ visitationem non aliis fuisse demandandam, nisi sex vicinioribus Episcopis, quorum est in eo summa auctoritas, Petrumque indè damnatum, quod aliorum jura deturbarit.

Ennodus tamen Ticinensis in Apologetico pro Symmacho rem diluit, & justam in Petrum damnationem latam fuisse ex eo probat, quia ausus fuisset in Pontificem, qui jàm in pacifica quatuor annorum sui Pontificatus possessione erat, judicium ut Visitator exercere in legitimum Pontificem, quod antiquæ regulæ vetabunt. Verba ipsius exscribemus: *Visitatores inquiunt, & aliis Episcopis dedit ipse* (videlicet Symmachus, dùm Sedium aliarum necessitas juxtà antiquum morem id exigeret) *& justum est, ut facti sui lege teneatur. Non vos in hoc titulo falsitatis incesso; diu mendaciis adhærentia verba non arguo. Dico tamen, latorem juris deffinitionis suæ, nisi velit, terminis non includi: & nisi Princeps*

fasti-

fastigii summa moderetur, frustrà ad illud, quod dederit, jus vocatur....... Aliorum fortè hominum chaussas Deus voluit per homines terminare, sed Sedis istius Præsulis suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit Beati Petri successores cœlo suam debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagine inviolatam exhibere conscientiam... Nolite timere eas animas de inquisitione non habere fortitudinem, quas Deus præ cæteris suo reservavit examini... Uni dictum Tu es Petrus....... Et rursùm Sanctorum voce patet, Pontificum dignitatem Sedi ejus sanctam, toto Orbe venerabilem: dùm illi, quicquid Fidelium est, ubique submittitur, dùm totius Orbis Caput esse designatur &c. Hæc sunt instituta Veterum, contrà quæ egit, & jure damnatus est Altinas. Undè ejusdem Synodi Episcopi eandem prævaricationis caussam edicunt: *Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt, ipsum, qui diceba-tur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes, quia ejus Sedi primum Petri Apostoli meritum, vel Principatus, deindè jussionem Domini secuta Conciliorum venerandorum auctoritas, singularem in Ecclesiis tradidit potestatem, nec antèdictæ Sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio in propositione simili, facilè forma antiqua testaretur.*

Theodoricum verò Regem in ea Visitatoris constitutione illud unicum spectasse, ut discordiarum fomenta eriperet: *Nàm diviso Clero, alii communicarunt Symmacho, & alii Laurentio*; non verò ut jus Pontificium aliqua in parte tangeret, constat ex jussione data Petro Altino, cui injungit, ut Romam adveniens, cuncta de voto, seu consensu Symmachi ageret, sic ut non alio esset directus, nisi ut Clerum componeret, ac retineret. Ità Ennodius ibidem: *Præfatum* (loquitur de Petro) *ad Beati Petri Basilicam, mox ut Romam fuisset perductus, mandavit occurrere* (Symmacho, qui in Vaticana Basilica commorabatur) *faciens de Sacerdotis voto Regis imperium*. Qui tamen jussa, Schismaticorum

Ex Anastasio ibi.

eorum opere, negligens, illisque sociatus, jure etiam propterea in eum lata est sententia, uti & in Laurentium.

In eo verò apparet discrimen, quod intercedit in hoc facto circa hanc damnatam Visitatoris delegationem, cùm ea, qua sub Bonifacio alius Visitator datus est Ecclesiæ Romanæ sub Honorio Imperatore. Bonifacii enim electio per subdolam Symmachi Præfecti artem repræsentabatur omninò dubia & litigiosa, ut videre est in ejusdem epistola apud Baronium. Symmachi verò Pontificis per quatuor annos fuerat pacificè, ut legitima recognita, & in vera possessione eo usque perseverarat, proindè non sine injuria poterat superinduci Visitator. Rursùs stante vera dubietate electionis Bonifacii poterat Honorius Synodali judicio caussam committere, *ut scilicet*, ut ait Baronius, *Imperatoris esset muneris, cùm constat de legitimè electo Romano Pontifice, eum, qui se posteà tyrannicè intrusisset, expellere, sicque paci consulere, & Ecclesiasticæ disciplinæ prospicere*. Non similis casus erat in Symmacho Pontifice, qui per pacificam quadriennii possessionem, suam legitimam electionem, dùm probasset, nullius judicio subesse poterat. Similiter eo argumento Sanctus Cyprianus probat factionem Felicissimi esse schismaticam, eamque contrà omnem justitiam attentasse novi Episcopi Carthaginensis electionem, cùm Sanctus Martyr jàm à tribus annis esset in pacifica possessione sui Episcopatus, adeòque quinque factionarii Presbyteri illud attentantes, in schismate omnia egisse ostendit.

An. 418. pag. 429. & 431.

Ibi pag. 430.

Hæc adducta sint pro illustratione antiquæ istiusmodi disciplinæ, quæ in Occidentali Ecclesia diutissimè viguit, ut allata testimonia satis, superque comprobasse putamus. Erat itàque apud antiquos certa ea regula, quam tot Epistolis Sancti Gregorii Magni corroboratam dedimus; *ad Metropolitam illum spectasse vacanti Ecclesiæ Visitatorem Episcopum designare, ad quem pertinebat electum Antistitem consecrare.*

CA-

CAPUT V.

De potestate Romani Pontificis in Urbicarias Provincias Italiæ, illi ut earumdem speciali Metropolitæ spectantes.



Requentissimè in nostra Dissertatione mentio facta est Metropolitæ Urbicariarum, quæ dignitas cùm aliis Sedis Apostolicæ propriis speciali prærogativa erat annexa Romano Episcopatui. Et cùm in illustrandis Sancti Gregorii Magni Epistolis, quas præ reliquis aliorum Summorum Pontificum delegimus, cùm in illis clariùs appareat prædicta prærogativa, sæpiùs Urbicarias Provincias laudaverimus; ordo tractationis exigit, ut explicetur quænam, & quanta olim fuerit hæc Diœcesis, in qua Romanus Pontifex, ut Metropolita antèdicta munia exercuerit.

Annalium Eminentissimus Parens docuit Ecclesiastici *Anno* 325. *n*.134. Dominii exterioris Oeconomiam à primis temporibus sese aptasse ad partitionem Imperii Romani: indè amplitudo, & limites tractus Patriarchalis Romani, Alexandrini, & Antiocheni à viris doctis comprobata fuere ex divisione civili. Quod in fine etiam elapsi sæculi in opere Geographico probavit Schelestratus. Multiplex ea civilis divisio per Imperatores est acta, & varietates notarunt eruditi viri, qui stricto calamo eam Provinciam illustrandam susceperunt. Ad rem nostram, quod attinet, sufficiat ex illis divisionibus, partitionem per Constantinum Magnum actam, adnotare, illumque duos Præfectos Prætorii constituisse, Italiæ unum, Galliarum alterum. Sub Præfectura Italiæ erant tres civiles diœceseos: (quo nomine venit regionis tractus multarum provinciarum sub regimine viri spectabilis) erantque istiusmodi,

modi, regiones Italiæ, Africæ, & Illyricum Occidentale: iisque præposuit totidem Vicarios. Præfectus itaque Prætorii multis præerat Diœcesibus. Provinciis verò dati fuere Præsides, vel Proconsules. Quod argumentum præter Baronium, retractant Cantelius in historia Metropol. Sedium l. 1., Jacobus Gothofredus, Marca, aliique plures.

Regionis Italicæ limites non prætergredientes, cùm de ea in præsenti propria est disquisitio, bipartitos fuisse legimus per eundem Imperatorem Constantinum, qui secutus fuerat priorum Imperatorum partitionem: Prior dicta est Urbicaria, Regio Italiæ, tractus, &c. ejusque Vicarius Romæ residebat: altera Diœcesis Italica, habebatque Principem sessionem Mediolani. Ad eam divisionem allusisse Marcianum clarum Jurisconsultum in Justiniani l. 7. tit. 22. colligunt eruditi, dum distinguens Italicam regionem, docet aliam esse *Romanam Provinciam, Urbicam, & Italicam*. Et in eo fundatur notio, & divisio *Diœcesis Suburbicariæ*, Diœcesis Urbicariæ, & Diœcesis Italicæ.

Cùm verò in decurrendis hisce Provinciis, sæpius laudatæ voces occurrant, ne detineamur ex notionibus Urbicariæ, & Suburbicariæ placuit adnectere Cl. Morini verba, rem hujusmodi enucleatius præ aliis explicantis. Proposita vocum nomenclatura, statim subdit: *Hinc discrimen oritur inter Urbicarias Provincias, & Suburbicarias. Urbicariæ Provinciæ Suburbicariis longè latius diffunduntur, ut rectè animadvertit Aleander Junior, vir genere, & doctrina clarissimus, qui omnium proximè rem Urbicariam, & Suburbicariam acu tetigisse mihi videtur. Suburbicariæ*, inquit c. 3. dissert. 1. de region. Suburb., *continebantur Urbicariis, ut & ipsæ dici possent Urbicariæ: at non contra Urbicariæ omnes erant Suburbicariæ; veluti omnis quidem arrogatio, adoptio est; at non omnis adoptio dicenda est arrogatio.* Plura alia ad illustrandas hasce notione, adducit eruditè, & solidè Morinus, ac testimoniis munit, & probat.

Exercit. l. 1. exer. 30. pag. 241.

Tra-

Tractus itaque Suburbicariæ Diœcesis extendebatur ad centesimum ab Urbe lapidem per circuitum ejusdem undequaque productum; & ab Urbano Magistratu, cui Urbis Præfectus præerat, juxtà Augusti constitutionem regi jubebatur. Potestas istiusmodi non erat in una, aut pluribus integris Provinciis, sed in plurium Provinciarum partibus, quæ Romæ per girum circumjacebant: inde quicquid Campaniæ, Samnii, Valeriæ, Piceni, Umbriæ, Tusciæ intra centesimum ab Urbe lapidem comprehendebatur, id omne tractus Suburbicarii prædicto Magistratui subdebatur.

Canon Nicœnus sextus malè à Ruffino interpretatus, & impudentius interpretatio à Salmasio defensa in tractatu de Primatu, illi, aliisque Heterodoxis ansam tribuit ponendi, defendendive Romani Pontificis primatialem potestatem coarctatam intra prædictos limites tractus Suburbicarii: eo maximè, quod prioribus temporibus Politia Ecclesiastica à Civili commensurata esset in Provinciarum divisione; & cùm Civilis dedisset Urbano Magistratui jus in Suburbicarias, & Ruffinus interpretetur, Canonem Nicœnum Romano Pontifice assignasse regiones Suburbicarias, inde alios limites, nisi tractus Suburbicarii habuisse concludant. Vanam Ruffini interpretationem, & Salmasii exindè jacta fundamenta evertit Vir Cl. Sirmondus: qui ea data occasione jura Patriarchalia, & Metropolitica, quæ etiam Sedis Apostolicæ propria sunt, cum suis amplissimis limitibus proponit, & propugnat; refellitque adversariorum technas. Quod etiam fecere Leo Allatius de consensione utriusque Ecclesiæ, & Schelestratus in Opere Geographico, aliique.

Tractus porrò Urbicariæ Diœcesis ille erat, cui præerat Vicarius Urbis, ejusque Sedes Roma. Jam Italia à Constantino Magno præcipuè fuerat in septemdecim Provincias partita, & earum decem Vicarii Urbis regimini subdidit; reliquas septem reliquerat sub nomine Italicæ Diœcesis Vicario Italiæ, cujus Sedes Mediolanum. Ad illarum distinctionem vul-

vulgari nomine primæ decem dicebantur Urbicaria, & Urbana regio: reliquæ Italica regio, Diœcesis, &c. De quo præter Aleandrum, Morinum, scripsit Jacobus Grutherus in suo *de Officiis Domus Augustæ* erudito opusculo: *Illæ partes, quæ Italiæ Vicario parebant, propriè Italiæ nomen sibi vindicarunt; quæ verò Vicario Vrbis erant subjectæ, Vrbanæ dicebantur.*

Provinciæ verò utriusque tractus juxtà laudatam divisionem hujusmodi sunt, & exhibentur in *Notitia Imperii*, qui liber prodiit illustratus cura eruditissimi Panciroli. Quæ erant sub regimine Romani Pontificis spectati ut Metropolita, dicebantur: I. Campania. II. Tuscia cum Umbria. III. Piceni pars dicta Suburbicaria, ad differentiam Piceni Annonarii, jurisdictionis Vicarii Italiæ. IV. Sicilia. V. Apulia cum Calabria. VI. Brutium cum Lucania. VII. Samnium. VIII. Corsica. IX. Valeria. X. Sardinia. De qua tamen dubitarunt aliqui, dum sæpius mentio occurrat in Ecclesiasticis memoriis Calaritani Metropolitæ.

Italicæ autem Diœcesis Provinciæ, quæ est tertia partitionis Italicæ pars, quæque erant Regiminis Vicarii Italiæ, hæc describuntur in laudata Gregorii notitia. I. Venetiæ, & Istriæ. II. Æmilia. III. Flaminia una cum Piceno Annonario. IV. Liguria. V. Alpes Cottiæ. VI. Rhetia prima. VII. Rhetia secunda. His verò ut particularis Metropolita præerat Mediolanensis Episcopus. Momenta nunc erunt expendenda, quibus demonstratur eam divisionem, & jurisdictionem fuisse prioribus temporibus usurpatam, & à duobus illis Metropolitis executioni demandatam.

A Principe Petro fortasse imperii partitionem secuto, omnem superiorem Italiam usque ad Flumen Padum cum adjacentibus Insulis Romano Metropolitæ, ut propriam Provinciam Ecclesiasticam assignatam: Regionem verò circa Padum, inde dictam Transpadanam, quæ per suum Italiæ Vicarium regebatur Mediolani residentem, Archipræsuli Me-

Mediolanensi datã, ex perpetua traditione, & ex Metropoliticis juribus ab iisdem exercitis ab ipso Ecclesiæ initio deducimus. Cum enim Sedes laudatæ ejusmodi jura perpetuò exercuerint; & dum pax Ecclesiis data fuit, eodem jure in laudatis Provinciis propria munia Metropolitica nullo omnino contradicente obtinuerint, certum est indicium prioribus temporibus, adeoque ævo Apostolico jurisdictionem Ecclesiasticam in regione Italiæ sic fuisse divisam.

Vestigium tamen hujus divisionis juxtà assignatas notiones apparet apud Eusebium in damnatione Pauli Samosateni, qui cùm adversus Concilii Antiocheni constitutum permaneret in Ecclesiæ domo, a qua Synodali judicio fuerat deturbatus,& res fuisset Aureliano Imperatori delata, Ethnicus Imperator rescripsit: *iis domum tradi.... quibus Italici Christianæ Religionis Antistites, & Romanus Episcopus scriberent*. Italici Antistites videntur intelligi, qui sub suis Metropolitanis erant, quique in arduis controversiarum fidei negotiis cum Ecclesiæ Capite Romano Pontifice conveniebant, ac præsto erant ut adjutores. *Apud Eusebium l. 7. c.30. pag.283.*

Alterum argumentum servatæ istiusmodi divisionis Provinciarum Italiæ ante tempora Constantini, nobis idem Eusebius tribuit, damnati schismatis Novatiani referens historiam; & Conciliorum acta in epistola Cornelii ad Fabium Episcopum Antiochenum. In ea verò mentionem facit Synodi Romanæ sexaginta Episcoporum: Synodi Italiæ, Synodi Africæ, & aliarum Provinciarum. Sic enim habet: *Ob quam rem cum Romæ congregata esset Synodus,in qua sexaginta quidem Episcopi: Presbyteri verò, ac Diaconi multo plures convenerunt*. Tot Episcoporum numerus tempore persecutionis non poterat ex simplici tractu Suburbicario esse, benè ex Urbicariis Provinciis, ex quibus fuere collecti. Quod verò præter Romanam sexaginta Episcoporum Synodum, fuerit alia Italiæ Synodus celebrata, item & Africæ statim explicat idem Eusebius: *Extant adhuc epistolæ Cornelii* *L.6.c.43.pag.242.*

L *Roma-*

Romanorum Episcopi ad Fabium Antiochensis Ecclesiæ Præsulem missæ: in quibus & Romanæ Synodi gesta, & omnium per Italiam & Africam, aliasque locorum illorum Provincias sententiæ declarantur. Ibi adnotanda sunt verba *aliasque Provincias illorum locorum*, ut inde colligamus ab eo tempore Provinciarum divisionem fuisse servatam, & Provincias quasque cum suo Metropolitano controversiam terminasse. Illud ipsum innuit Hieronymus in Cornelio, qui tamen Fabium Flavianum vocat: *Scripsit epistolam ad Flavianum, Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum, de Synodo Romana, Italica, Africana.*

De Script. Eccles. tom. 1. pag. 181.

Tertium argumentum desumitur ex libro Pontificali, in cujus prima parte vulgò tributa Damaso de vitis Romanorum Pontificum, dum referuntur cujuslibet Pontificis ordinationes mense Decembris factæ, mentio occurrit pauciorum Presbyterorum, ac Diaconorum ab eisdem promotorum, Episcoporum verò plurium. Quod quidem non alia ratione factum crediderim, nisi quia Romani Pontificis tractus, prout Urbis, ejusque districtus Episcopus, non adeò esset amplus, pauciores exigebat inferiores ministros: Episcopales verò consecrationes eidem, ut tractus *Suburbicarii* & Urbicarii erat proprius Metropolita, spectantes, ob Provinciarum amplitudinem postulabant plures Episcopos. Et hæc quoad priora tria secula, in quibus extant vestigia hujusmodi à nobis assignatæ partitionis de duplici Sede Metropolitica, Urbicaria, & Italica.

Post Constantini tempora clariora extant monumenta, unde possimus, non spernendis conjecturis, eandem divisionem servatam ostendere. Et quidem Suburbicariæ Diœcesis mentionem demonstrat constitutum Valentiniani I. adversus Ursicinum Schismatis adversus S. Damasum Auctorem: qui cum fuisset in Gallias relegatus, deinde mitius cum eodem agens, ita rescripsit Maximino Urbis Vicario: *Ex quo oritur ut Ursicino, quem propter quietem populi Christiani, & debitam*

Apud Baronium an. 371. pag. 273. & 424.

bitam religioni, ac legibus disciplinam, uno interim loco morari intra Gallias jusseramus, discedendi copiam fecerimus sub ea conditione, ne vagandi arbitrium præberemus, neve ad Vrbem Romam, vel regiones Suburbicarias valeat commanere. Et anno 381. exponit clariùs, quid nomine Suburbicarii tractus intelligat Imperator in edicto Aquilino Vicario dato: *At nonne absurdius est, quod Vrsicini jussit amentia, quam quod Serenitas nostra mitibus persuasit edictibus, ut omnes, qui impios cœtus profanata religione tentarent, vel ad centesimum Vrbis milliare pellerentur*. Idipsum rescripserat Ampelio Præfecto Urbis. Cùm verò Imperator illud ipsum Præfectò Urbis rescribat, ostendit utriusque ditionem tangere Constitutum: Urbis quidem Vicarium, ne admittat intra Suburbicarios limites Ursicinum: Præfectum Urbis verò, ut relinquat in Provinciis Urbicariis eundem, quæ Provinciæ eidem subdebantur. Quæ animadversio satis innuit non in unum confundendas notiones, & terminos Urbicarii tractus, & Suburbicarii, cum illi diversi fuerint, & regerentur à distinctis Magistratibus, quod Cantelius, aliique videntur non animadvertisse.

Romani Pontificis jus in Urbicarias regiones probant aliæ non spernendæ conjecturæ. I. Occursus ille Leonis Magni Gallæ Placidiæ Augustæ cum plurima Episcoporum Italiæ multitudine, & testatur Augusta scribens Theodosio II. de Leone loquens: *Accessit Episcoporum multitudine circumseptus, quos ex innumerabilibus Italiæ Civitatibus pro Principatu proprii loci, seu dignitate collegit*. Adnotanda sunt illa verba *ex innumerabilibus Italiæ Civitatibus*, quæ verba Suburbicariæ regioni aptari non possunt, benè quidem Provinciis Urbicariis. Deinde particula *collegit*, idest convocavit, demonstrat specialem illam prærogativam Metropoliticam in Urbicarias, cum ea præcipuè in convocandis Synodis reluceret.

In Concil. Chalced. l. 1. ep. 26.

Ad hanc nostram conjecturam firmandam, recolere

 juvat

juvat, antiqua Metropolitanorum jura, quæ ex antiquis decretalibus, & constitutis canonicis descripsit Hincmarus Remensis: *Quibus & aliis sacrorum Canonum decretis, & Sedis Romanæ claret sententiis, eosdem Metropolitanos Primates esse singulos singularum Provinciarum, qui ex antiqua, ut præmisimus, consuetudine, & Apostolica traditione secundùm sacros Nicœnos Canones, & convocare Synodos, & ordinare Episcopos, & ordinari à Provincialibus sine cujusquam alterius Primatis interrogatione possunt, & disponere regulariter quæque per suas Provincias queunt, &c.* Prædictas verò omnes prærogativas in Urbicarias exercuisse speciali Metropolitæ jure Romanum Pontificem constat.

Opusc. 55. cap. 17.

Ad Synodum ex Urbicariis convocasse, præter adductum testimonium Placidiæ, constat ex Cornelio ad Fabium; ex Sancto Leone ad Episcopos Siciliæ, ubi sic: *Quare illud primitus pro custodia concordissimæ unitatis exegimus, ut quia saluberrimè à Sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem tertium kalendarum Octobrium Romam fraterno concilio sociandi, indissimulanter concurrant.* Ità Gregorius Magnus mentionem facit Synodi ab ipso habitæ ex solis Urbicariis Episcopis. Nàm ibi, præter Episcopos Suburbicarii tractus reperimus hæc nomina subscripta: *Joannes Episcopus Surrentinæ: Balduinus Episcopus Civitatis Rosellanæ: Secundinus Episcopus Civitatis Tauromeniæ.* Idipsum erit videre in antiquis subscriptionibus Conciliorum Romanorum sub prioribus Pontificibus celebratis, & successorum ad Beatum Gregorium. Quod verò ea convocatio fuisset annexa jure Metropolitico Sedi Apostolicæ, sic ut esset obsequendi necessitas, indè deducitur, quod cùm Siculi incommoditatem sentirent tribus singulis annis Romam ad celebrandum Concilium venire, idem S. Leo concessit, ut quinto quoque anno semèl venirent.

Epist. 4. cap. 7.

Lib. 4. indict. 13. epist. 43. pag. 144.

Ex Libro Pontificali in S. Leone.

Episcopos Provinciarum Urbicariarum in electionibus, &

& consecrationibus jussa Sedis Apostolicæ expectavisse docent, quæ Capite I. & II. fusè adduximus ex Summis Pontificibus, Gregorio maximè; de Visitatore Episcopo constituendo, de decreto electionis mittendo, aliisque, quibus ea potestas Metropolitica in Urbicarias, lucidè comprobata ex simplici lectione apparet. In illis etiam reperire erit plura alia potestatis Metropolicæ jura circa correctionem, depositionem, electiones, quæ specialissimè, & frequentissimè à Romanis Pontificibus exercebantur in laudatis omnibus Provinciis.

Negotia, quæ has Urbicarias Provincias tangebant, fuisse pleno judicio terminata à Sede Apostolica declarant Epistolæ præcipuè Innocentii I. Sancti Leonis I. Gelasii, & aliorum. Dùm in Epistolis transmissis vel pro reformatione, vel pro legibus condendis, illæ dirigebantur *ad Episcopos Campaniæ, Brutiorum, Lucaniæ, Tusciæ, Siciliæ, &c.* Et è contrà, quæ à Romano Pontifice vel ut Capite Ecclesiæ, vel ut Occidentis Patriarcha mittebantur, in inscriptione ponitur talis inscriptio, quæ id denotaret: vel Metropolitis propriis dirigebantur. Sic illa est Siricii Hymerio Tarraconensi, *Leonis*, *Ravennio Arelatensi*; *Zosimi*, *Patroclo Arelatensi*; sic factum cum Thessalonicensi, aliisque Occidentalibus Metropolitis.

Sancti Gregorii Magni Epistola 11. lib. 7. indict. 1. præbet alteram firmandæ nostræ conjecturæ probationem, videlicet in laudatis Provinciis Urbicariis non alium fuisse Metropolitanum; quia scribens de illis Militibus, qui militia repudiata, perfectiori instituto sese sacrabunt in Monasteriis, & laudans Imperatoris constitutum de eo, in Epigrafe non alterius Metropolitæ mentionem facit, nisi *Constantii Mediolanensis*, *Mariniani Ravennatensis*, *&* *Joannis Calaritani*. Quod certè fecisset, si alii tunc intrà Italiæ limites extitissent Metropolitæ. Consequenter eo ævo in laudatis Urbicariis Provinciis nullus alius erat Metropolita, nisi Romanus. *Pag. 217.*

manus. Itàque Metropolitica Romani Pontificis poteſtas non arctabatur centeſimo ab Urbe lapide, ſed ultrà hos limites extendebatur. Cùm verò ibidem ſolùm ex Urbicariis Provinciis nominet *Siciliæ Epiſcopos*, ſatis oſtendit ſpecialiſſima ratione eam Inſulam Romano Pontifici ſpectaſſe: propterea in libris Epiſtolarum frequentes occurrunt Epiſtolæ ad diverſos Epiſcopos, aliosque, ubi laudata Metropolitica jura exercita dilucidè apparent ab eodem Pontifice.

Mediolanenſem Archipræſulem in ſeptem aliis Provinciis eadem Metropolitica jura habuiſſe, oſtendunt ſuprà adducta teſtimonia, Concilia ejusdem regionis; & propterea Sanctus Athanaſius in epiſtola ad Solitarios eandem Urbem vocavit Italiæ Metropolim.

Verùm alios ſuperinductos in Italia Metropolitas Eccleſiaſtica Monumenta declarant, uti Aquilejenſis in Iſtria, Ravennatenſis in Flaminia, & Calaritanus in Sardinia. Tamen illud adnotandum, Ravennatenſi datum quidem Metropoliticum nomen ob Urbis dignitatem, quam habuit ex Exarcharum Conſtantinopolitanorum reſidentia: *Verum ſalvis antiquis juribus Romanæ Eccleſiæ*, ut determinavit Leo Magnus ob preces Valentiniani III. ea videlicet conditione, ut novus Metropolita, non à ſuis Provincialibus Epiſcopis, ſed priſco more à Romano Pontifice, ut ejusdem Metropolita conſecraretur: nec ipſe poſſet comprovinciales ſuos inconſulto Romano Metropolita ordinare.


Quomodò tandem deſierit hæc priſca diſciplina? non niſi Imperatorum Conſtantinopolitanorum uſurpatione, potentia, & hæreſi impellente. Leo enim Iſauricus cùm Gregorii II. damnationem audiſſet contrà ab ipſo defenſam Iconoclaſticam perfidiam anno 787. ut quoquo modo vindictam ſumeret, nullum non movit lapidem, ad Sedis Apoſtolicæ auctoritatem convellendam. Primò itàque, quod ad noſtrum inſtitutum ſpectat, etiam jura Sedis Apoſtolicæ Patriarchica deturbare voluit, & ſeptemdecim Illyricianas pro-

provincias Occidentalis tractus, quæ suberant Patriarchatui Romano, tribuit Episcopo Constantinopolitano. Illud idem molitus est in insula Siciliæ, Syracusanum enim Episcopum Metropolitam faciens, à Romano Metropolita segregavit. Eadem ratione in reliquis Italiæ Provinciis propagavit usurpationem: in Provinciis olim Urbicariis, præcipuè Neapolitanæ ditionis novas erexit Metropoles, novos Episcopatus, qui omnes ad Constantinopolitanum, ut consecrarentur, accedere debebant, ut eosdem suæ perfidiæ magis obstrictos haberet, & ejusdem propagatores. Patriarchæ Constantinopolitani, qui jàm prima jacere fundamenta prætensi Patriarchatus in secunda generali Synodo, quæ propagare voluerunt etiam edito canone 28. in Concilio Chalcedonensi, contrà quem ambitum Magnus Leo invictissimo pectore restitit viribus, & epistolis; ea accepta occasione, ambitioni locum dedere,& usurpationi: sic ut etsi Iconoclastæ,& eorum acta fuerint reprobata, & extincta perfidia in Oriente, nihilominùs regiæ Urbis Patriarchæ in usurpatione persequenda persistere, licèt reclamarint Adrianus I. in septima generali Synodo: Adrianus II. in octava Synodo, & alii Romani Pontifices. Quidquid sit, Urbicaria hæc Metropolitica Sedis Apostolicæ prærogativa ab eo tempore desinere incœpisse, est certum, & indè novi Archiepiscopi in jisdem regionibus, Neapolitanus, Tarentinus, Hydruntinus, Regiensis, Barensis, & reliqui.

Græci, & eorum Imperium cùm desiissent, Normannorum Principum armis, non tamen reparatum est antiquum jus: etsi enim erecti Archiepiscopatus, & Episcopatus à Byzantino Patriarcha suæ ordinationis consensum non expeterent; tamen antiqua Metropolitica jura Sedis Apostolicæ juxtà priorem disciplinam nòn fuere instaurata, & nova forma sese mutuo consecrabant. Ità ad tempore Gulielmi I. de quo tres illius ævi Scriptores Robertus Abbas Montensis, Rodulphus de Diceto, & Matthæus Parisiensis inter alia sic te-

teſtantur: *Gulielmus Rex cùm Adriano IV. pacem inivit, eidem concedendo conſecrationes ſui Regni, & Ducatus, ſicut antiquitus babuit Romana Eccleſia: Nàm de bac re, magna interceſſit diſcordia inter Regem Rogerium ejus patrem cum Innocentio II. & Eugenio III.*

Sedes tamen Archiepiſcopales juxtà jàm introductam formam, etiam pace inita, perdurarunt, & Romani Pontifices alias adjunxere; ſic tamen, ut in poſterum remanerent ſingulæ Sedes cum ſuis quidem jàm obtentis prærogativis, *ſalvis juribus Vrbicariæ Diœceſis*. Adeòque ea, quæ erant juris Metropolitici deberent inviolabiliter obſervare, inter quæ crediderim illud fuiſſe cuſtoditum de Epiſcopi conſecratione, & Viſitatoris deputatione; quæ erant præcipua munera Metropolitanorum. Undè qui ab eo tempore Archipræſules permanſerunt, ſola nominis non juris prærogativa donati fuere. Quæ omnia ideam ingenerare poterunt illius antiquæ diſciplinæ de Epiſcopo Viſitatore, quæ eſſent Urbicariæ, & Suburbicariæ regiones, & quænam jura in eiſdem Sedes Apoſtolica, ſpectata ut jus Metropoliticum obtinens, habuerit. Pro Diſſertationis verò coronide putavimus innuere antiquam notitiam Metropolitanorum Occidentis, & ſimùl Provinciarum, ac Civitatum Urbicariarum Catalogum.



ANTIQUÆ SEDES
METROPOLITICÆ.

Roma  Edes Patriarchæ Occidentis, & Primatis Italiæ, & Metropolitani Latii utriusque, novi, & veteris, Campaniæ, Tuſciæ, Umbriæ, Valeriæ, Piceni Suburbicarii, Samnii, Apuliæ, Calabriæ, Lucaniæ, Brutiorum, Corſicæ, & Siciliæ.

Mediolanum Metropolis Liguriæ, Alpium Cottiarum, & Rhetiæ utriusque.

Ravenna Metropolis Flaminiæ, & Æmiliæ.

Aquileja Metropolis Venetiarum, & Iſtriæ.

Syracuſæ Metropolis Siciliæ.

Calaris Metropolis Sardiniæ, & Balearium Inſularum.

IN ILLYRICO OCCIDENTALI.

Syrmium Sedes Primatis Pannoniarum, & Norici utriusque.

Laureacum Syrmium dirutũ Metropolis Pannoniarum, & Norici.

Salona Metropolis Dalmatiæ.

IN GALLIA.

1. *Arelatum* Sedes Primatis Galliarum, & Metropolis ſecundæ Viennenſis.
2. *Vienna* Metropolis Viennenſis primæ, & Alpium Grajarum, ſeu Penninarum.
3. *Narbo* Metropolis Narbonenſis primæ.
4. *Aquæſextiæ* Metropolis Narbonenſis ſecundæ, ſed dubia.
5. *Ebrodunum* Metropolis Alpium Maritimarum.
6. *Treveris* Metropolis Belgicæ primæ, & duarum Germanicarum.

7. *Rhemi* Metropolis secundæ Belgicæ.
8. *Lugdunum* Metropolis primæ Lugdunensis.
9. *Rothomagus* Metropolis secundæ Lugdunensis.
10. *Turonum* Metropolis tertiæ Lugdunensis.
11. *Civitas Senonum* Metropolis quartæ Lugdunensis.
12. *Vesuntio* Metropolis maximæ Sequanorum.
13. *Biturica* Metropolis Aquitaniæ primæ, & Sedes antiqua Primatis Aquitaniæ.
14. *Burdigala* Metropolis Aquitaniæ secundæ.
15. *Elusa* Metropolis novempopulanine.

IN HISPANIA.

1. *Hispalis* Sedes Primatis Hispaniæ per aliquot tempus, & Metropolis Bœticæ.
2. *Carthago* primis sæculis Metropolis Provinciæ Carthaginensis.
3. *Toletum* primùm Metropolis Provinciæ Carpetanæ, & postea Carthaginensis, denique Sedes Primatis Hispaniæ.
4. *Tarraco* Metropolis Provinciæ Tarraconensis.
5. *Emerita Augusta* Metropolis Lusitaniæ.
6. *Bracbara Augusta* prima Metropolis Gallæciæ.
7. *Lucus Augusta* altera Metropolis Gallæciæ.

IN ILLYRICO ORIENTALI.

1. *Thessalonica* Sedes Primatis Illyrici Orientalis per multa sæcula, & Metropolitani Macedoniæ.
2. *Corinthus* Sedes Primatis Achajæ, & una ex Metropolitibus ejusdem Diœcesis.
3. *Athenæ* Metropolis Helladis, quantum ad honorem.
4. *Nicopolis* Metropolis Epiri veteris.
5. *Dyrrachium* Metropolis Epiri novi.
6. *Larissa* Metropolis Thessaliæ.

Scupi

7. *Scupi* Metropolis Dardaniæ.
8. *Achrida* Sedes Primatis partis Illyrici, & ſecundæ Pannoniæ.
9. *Sardica* Metropolis utriusque Daciæ, & Mœſiæ ſuperioris.

IN DACIA ANTIQUA, MÆSIA SECUNDA, ET SCYTHIA.

Martianopolis Metropolis Mœſiæ inferioris.
Tomi Metropolis Scythiæ.
Zarmizegetuſa Gothorum Metropolis, in Dacia antiqua.

IN AFRICA.

1. *Carthago* Sedes Primatis Africæ, & Metropolitani Provinciæ Proconſularis, quæ dicebatur Provincia Zeugitana.
2. Prima Sedes *Numidiæ*, in qua ſenior Epiſcopus ſedebat.
3. Prima Sedes *Mauritaniæ*, *Cæſarienſis*, & *Tingitanæ*, in qua ſenior Epiſcopus ſedebat.
4. Prima Sedes *Mauritaniæ Sitifenſis*, in qua ſenior Epiſcopus ſedebat.
5. Prima Sedes *Bizacenæ Provinciæ*, in qua ſenior Epiſcopus ſedebat.
6. Prima Sedes *Tripolitanæ Provinciæ*, in qua ſenior Epiſcopus ſedebat.

IN MAGNA BRITTANNIA.

Londinum Metropolis antiquæ Britanniæ.
Dorovernum, aliàs *Cantauria*, Metropolis Cantii, & Britanniæ Meridionalis.
Carleona Metropolis Britanniæ ſecundæ, ſeu Occidentalis, ſed dubia.
Eboracum Metropolis Scotiæ, & partis Septemtrionalis Britanniæ.

NOTITIA EPISCOPATUUM

Antiquæ Provinciæ Romanæ,

Ac aliarum.

TUSCIA.

ROMA Caput Mundi, & Apoſtolorum Schola.
Portus Auguſti. *Porto.*
Sylva Candida. *Santa Rufina.*
Nepi. *Nepi.*
Aquaviva. *Acquaviva.*
Phalaris, ſeu Falarina. *Falaro.*
Ferentinum. *Ferento.*
Polymartium. *Bomarzo*, Ferentino unitum.
Hortanum. *Horti.*
Blera. *Bieda.*
Sutrium. *Sutri.*
Tarquinii. *Tarquene.*
Tuſcania. *Toſcanella.*
Salpis. *Salpe.*
Balneum. *Bagnarea.*
Urbs vetus. *Orvieto.*
Cluſium. *Chiuſa.*
Peruſia. *Peruggia.*
Cortona. *Cortona.*
Aretium. *Arezzo.*
Volſinnium. *Bolſena.*
Centum cellæ. *Civita-vecchia.*
Graviſa. *Mont'alto.*
Suana. *Soana.*
Manturanum. *Manturano.*
Ruſella. *Roſella.*
Populonia. *Porto Baratto.*
Volaterra. *Volterra.*
Piſæ. *Piſa.*
Luca. *Lucca.*
Forum Claudii. *Toſa nova.*
Luna. *Lunì.*
Feſulæ. *Fieſoli.*
Florentia. *Fiorenza.*
Sena. *Siena.*
Cornetum. *Corneto.*

UMBRIA.

Utriculum. *Otricoli.*
Narnia. *Narni.*
Interamna. *Terni.*
Ameria. *Amelia.*
Tuder. *Todi.*
Vettonium. *Bittonia.*
Mevania. *Bevagna.*
Tifernum. *Città di Caſtello.*
Trevia. *Trevi.*
Spoletum. *Spoleto.*

Ful-

Fulginium. *Foligno.*
Forum novum, Forum Flaminii. *For flammo.*
Camerinum. *Camerino.*
Hispellum. *Spello.*
Assisium. *Assisi.*
Nucera. *Nocera.*
Eugubium. *Gubbio.*

CAMPANIA,
IN QUA EST LATIUM.

Ostia. *Ostia.*
Velitræ. *Velletri.*
Tres Tabernæ. *Cisterna*, unita Veletri.
Antium. *Anzio.*
Tarracina. *Tarracina.*
Ferentinum. *Fiorentino.*
Anagnia. *Anagni.*
Ghaii. *Gallicano.*
Signia. *Segna.*
Albanum. *Albano.*
Tusculum. *Frascati*, sub Augusta propè Romam.
Fundi. *Fondi.*
Formiæ. *Mola.*
Salernum. *Salerno.*
Amalphium. *Amalfi.*
Surrentum. *Sorrento.*
Stabiæ. *Castello à mare.*
Neapolis. *Napoli.*
Puteoli. *Pozzoli.*
Misenum. *Miseno.*
Cumæ. *Cuma.*
Astella. *Sant'Arpino.*
Vulturnum. *Castello di Botorno.*
Sora. *Sora.*
Aquinum. *Aquino.*
Cassinum. *Cassino.*
Minturnæ. *la Scaffa del Garigliano.*
Suessa. *Sessa.*
Teanum. *Tiano.*
Calenum. *Carinola.*
Calatia. *Cajazzo.*
Capua. *Capoa.*
Acerra. *l'Acerra.*
Nola. *Nola.*
Abellinum. *Avellino.*
Venafrum. *Venafri.*
Atinum. *Atino.*

PICENUM ANNONARIUM.

Æsis. *Jesi.*
Senogallia. *Sinigaglia.*
Fanum Fortunæ. *Fano.*
Pisaurum. *Pesaro.*
Ariminum. *Rimini.*
Urbinum. *Urbino.*
Tifernum Metaurense, Forũ Sempronii. *Fossunbrono.*
Callium. *Cagli.*

PI-

PICENUM SUBURBICARIUM.

Pinna. *Penna.*
Interamnia. *Teramo.*
Asculum. *Ascoli.*
Firmum. *Fermo.*
Tolentinum. *Tolentino.*
Septempeda. *San Severino.*
Matelica. *Matelica.*
Cingulum. *Cinguli.*
Auximium. *Osimo.*
Potentia. *Potenza*, seu *Porto di San Lepido.*
Humana. *Humana.*
Ancona. *Ancona.*
Adria. *Atri.*
Aternum. *Pescara.*

VALERIA.

Fidene. *Castel Jubileo.*
Nomentum. *Lamentana.*
Tibur. *Tivoli.*
Nursia. *Norcia.*
Marsi. *Marci.*
Præneste. *Palestrina.*
Furconium. *Forcone.*
Amiternum. *San Vittorino.*
Reate. *Rieti.*
Cures. *Curese*, aliàs Sancti Anthimii, unita Nomentanæ.

SAMNIUM.

Beneventum. *Benevento.*
Sæpinum. *Sepino.*
Sulmo. *Sulmona.*
Bovianum. *Bojano.*
Alipha. *Aliffa.*
Theatea. *Civita di Chieti.*
Ortona. *Ortona.*
Frequentum. *Fricenti.*
Samnium. *Samno.*
Valva. *Valva*, Sedes unita Sulmoni.

APULIA.

Egnatia. *Gnazzo*, Rufentius Episcopus Ignatinus subscriptus in Concilio sub Symmacho.
Barium. *Bari.*
Tranum. *Trani.*
Cupersanum. *Conversano.*
Canusium. *Canosa.*
Sypontum. *Siponto.*
Arpi. *Arpi.*
Melfia. *Melfi.*
Venusia. *Venosa.*
Acheruntia. *Acerenza.*
Cannæ. *Canne.* Antipater Episcopus Cannensis subscriptus in Concilio Romano V. sub Symmacho.

CA-

CALABRIA.

Brundusium. *Brindesi.*
Aletium. *Lecci.*
Hydruntum. *Otranto.*
Gallipolis. *Gallipoli.*
Tarentum. *Taranto.*
Uria. *Oria.*
Lypia. *Lupia*, de quo B. Gregorius epist. 2. lib. 8.

BRUTIUM.

Rhegium. *Reggio.*
Taurianum. *Seminara.*
Tropia. *Tropea.*
Vibo. *Bivona*, in Concilio sub Symmacho.
Nicotera. *Nicodro.*
Tempsa. *San Marco.*
Thurium. *Terra nuova.*
Cerillus. *Cerilla.*
Consentia. *Cosenza.*
Croton. *Crotone.*
Scyllatium. *Squillaci.*
Locri. *Geraci.*
Muranum. *Morano* Orestis, vel Portus Orestis, *Porto Ravaglioso.*
Carina à B. Gregorio unita Rheginensi.
Bovia. *Bova.*

LUCANIA.

Potentia. *Potenza.*
Buxentum. *Pisciotta*, in Concilio sub Symmacho I.
Pœstum. *Pesto*, in Concilio sub Symmacho.
Acropolis. Ex Divo Gregorio epist. 29. lib. 2. in qua Episcopo Felici mandat visitationem Sedium vacantium *Velinæ*, *Buxentinæ*, & *Blandanæ.*
Blanda. *Belvedere.*
Velia. *Castello à mare della Bruca.*

INSULA CORSICA.

Aleria. *Aleria.*
Urcinium. *Adiazzo.*
Nebium. *Nebio.*
Tamita, de qua Gregorius lib. 1. epist. 77. *Tamita.*

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

LIGURIA.

Mediolanum. *Milano.*
Eporedia. *Hivrea.*
Vercellæ. *Vercelli.*
Novaria. *Novara.*

Tici-

Ticinum. *Pavia.*
Laus Pompeja. *Lodi.*
Cremona. *Cremona.*
Brixia. *Brescia.*
Bergamum. *Bergamo.*
Comum. *Como.*

ALPES COTTIÆ.

Augusta Taurinorum. *Torino.*
Astæ. *Asti.*
Dertona. *Tortona.*
Alba Pompeja. *Alba.*
Aquæ statiellæ. *Acqui.*
Albingaunum. *Albenga.*
Viginti millium. *Ventimiglia.*
Bobium. *Bobio.*
Genua. *Genova.*
Savona. *Savona.*

RHÆTIA PRIMA.

Curia. *Corra.*

RHÆTIA SECUNDA.

Augusta Vindelicorum. *Auspur.*
Ratispona, seu Castra regina. *Regenspurg.*
Quintanæ. *Quintana.*

FLAMINIA.

Ravenna. *Ravenna.*
Sarsina. *Sarsina.*
Cæsena. *Cesena.*
Forum. *Populi*, seu Forum Popilii.
Ficoclæ. *Cervia.*
Forum Livii. *Forlì.*
Faventia. *Faenza.*
Forum Cornelii. *Imola.*
Nicohabentia. *Vicovenza.*
Hadria. *Adri.*
Comacula. *Comacchio.*

ÆMILIA.

Bononia. *Bologna.*
Brixellum. *Bressello.*
Mutina. *Modana.*
Regium Lepidi. *Reggio.*
Parma. *Parma.*
Placentia. *Piacenza.*

PROVINCIA AQUILEJENSIS, UBI VENETIÆ.

Aquileja. *Aquileja.*
Patavium. *Padova.*
Torcellum. *Torcello.*
Altinum. *Altino.*
Acelum. *Asolo.*
Tarvisium. *Treviso.*

Maria-

Marianum. *Mariano.*
Verona. *Verona.*
Gradus. *Grado.*
Nova, de qua Gregorius Magnus, nunc eversa.
Caprula. *Caorla.*
Ceneta. *Geneda.*
Tridentum. *Trento.*
Feltria. *Feltri.*
Bellunum. *Belluno.*
Sabiona. *Sibien.*
Opitergium. *Oderzo.*
Cœlina. *Celine.*

HISTRIA.

Forum Julii. *Forlì.*
Tergestum. *Triesti.*
Parentium. *Parenzo.*
Pola. *Pola.*
Emona, seu Æmonia. *Città nuova.*

PROVINCIA SICILIÆ, IN QUA MELITA, ET LYPARA INSULÆ.

Syracusæ. *Siragosa.*
Tindarium. *Tindaro.*
Leontini, seu Leontium. *Lentini.*
Lilybeum. *Marsala.*
Tauromenium. *Tauromina.*
Messana. *Messina.*
Agrigentum. *Grigenti.*
Panormus. *Palermo.*
Thermæ. *Termine.*
Catana. *Catania.*
Friocala. *San Giorgio di Tricola.*
Alæsa. *Caronia.*
Camarina. *Camarana.*
Melita. *Malta.*
Liparis. *Lipari.*

PROVINCIA SARDINIÆ, CUM INSULIS BALEARIBUS.

Caralis. *Cagliari.*
Sulchi. *Solo.*
Tegula, propè Sulchum.
Turris Libissonis. *Porto di Torre.*
Forum Trajani, propè Calarim.
Phausania. *Terra nuova*, unitã cũ Sede Emporiensi.
Evusum, insula est in mari Balearico.
Sanafer. Sub *Calari.*
Palma Urbs Majoricæ, Minorica, cujus primaria Urbs. *Cittadella.*

In universa Italia, juxtà notitiam Romani Imperii tempore Constantini Magni erant septemdecim Provinciæ, ex quibus decem suberant Vicario Urbis; & septem parebant Vicario Italiæ.

Vicarius Urbis regebat has Provincias Italiæ, undè Diœcesis Urbicaria.

Per Consulares IV.
(I. Campaniam.
(II. Tusciam, & Umbriam.
(III. Picenum Suburbicarium.
(IV. Siciliam.

Per Correctores
(I. Apuliam, & Calabriam,
(II. Brutios, & Lucanos.

Per Præsides IV.
(I. Samnium.
(II. Sardiniam.
(III. Corsicam.
(IV. Valeriam.

Vicarius Italiæ regebat cæteras Italiæ Provincias, undè Mediolanen. Diœcesis.

Per Consulares IV.
(I. Venetiæ, & Istriæ.
(II. Æmiliæ.
(III. Liguriæ.
(IV. Flaminiæ, & Piceni Annonarii.

Per Præsides III.
(I. Alpium Cottiarũ.
(II. Rhetiæ primæ.
(III. Rhetiæ secundę.

LAUS DEO.

INDEX RERUM
MEMORABILIUM.

 Di-

Lyssius

Sacra-

Unde

FINIS.

R O M Æ,

APUD FRANCISCUM GONZAGAM.

M D C C X.

SUPERIORUM FACULTATE.

